SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA.

XXXIV.

SANCTORUM PATRUM

OPUSCULA SELECTA

AD USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIAE.

XXXIV.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

H. HURTER S. J.,

S. Theol. et Philos. Doctor, ejusdemque s. Theol. in C. R. Univers. Oenipont. Professor p. o.

Cum Approbatione Celsissimi et Reverendissimi Episcopi Brixinensis et Facultate Superiorum.

OENIPONTI.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1877.

SANCTORUM PATRUM

DE SANCTISSIMA DEI GENITRICE

MARIA

SERMONES SELECTI.

LONDINI
apud David Nutt.

PARISIIS
apud P. Lethielleux.

MEDIOLANI
apud Boniardi-Pogliani.

NEO-EBORACI ET CINCINNATI
Fr. Pustet.

OENIPONTI. TYPIS WAGNERIANIS.

Lectori.

Alia opuscula ad *Marialogiam* spectantia praeter ea, quae jam continentur hujus collectionis t. XII., edituri initium ducimus a praeclaris s. Joannis Damasceni orationibus in varia Deiparae festa. Floruit autem doctissimus hic scriptor, primis Ecclesiae orientalis doctoribus accensendus, sec. VIII. Natus putatur circa annum 676. Damasci, unde Damascenus est dictus, parentibus christianis, qui pietate maxime excellebant, licet urbs sub saracenorum gemeret jugo. Ipsius pater adeo sibi promeruit principis infidelis gratiam, ut publico eoque splendido penes eundem fungeretur munere, in quo Joannem nostrum successorem habuit. Verum hic mundanos spernens honores divisoque pingui patrimonio inter ecclesias, pauperes et cognatos Hierosolymas secessit: atque soli Deo vivere decernens in laura s. Sabae delituit. A Joanne III. (vel Eusebio) patriarcha presbyter ordinatus (c. 740.) totum se dedit illustrandae propu-

gnandaeque fidei orthodoxae, praesertim adversus iconomachos. Plenus dierum (ad annum enim aetatis 104. vixisse fertur) et meritorum ex hac vita decessit intra a. 754—787., ex nonnullorum conjectura circa annum 780. Cum pseudosynodus CP. anathema dixisset Joanni nostro, quem *injuriose* Mansur appellavit, hoc ei in refutatione actorum illius conciliabuli, quae lecta fuit in concilio oecumenico VII. act. 6., tribuitur elogium (Hard. 4, 438): „Joannes ... dimissis omnibus Matthaeum evangelistam aemulatus Christum secutus est, majores divitias arbitratus thesauro, quem in Arabia dereliquit, opprobrium Christi; et elegit potius affligi cum plebe Dei, quam temporalem habere voluptatem peccati. Ipse itaque crucem suam et Christi portans, et secutus eum pro Christo ab Oriente per Christum tubicinavit, non tolerabilem ducens vocum novitatem, quae diverso fuerat modo facta (adversus sacras imagines), seu praevaricatricem factionem rapidamque insaniam, quae adversus sanctam Dei catholicam Ecclesiam erat armata. Sed hanc publicans omnes exhortando et admonendo cautos reddebat, ne abducerentur cum operantibus iniquitatem, quaerens in ecclesiis antiquam legislationem teneri et pacificam constitutionem, quam Dominus discipulis suis nominis sui vocabulum sortientibus

donavit.« Secuti sumus in editione nostra versionem harum orationum, quam exhibet Lequien in sua operum s. Joannis Damasceni editione, sed eam subinde retractavimus. Orationes has excipient sermones Joannis euboeensis, s. Germani episcopi CP. et s. Sophronii patriarchae hierosolymitani, de quibus infra suis locis disseremus. Appendicis instar dabimus piam s. Thomae Aquinatis in salutationem angelicam scil. *Ave Maria* expositionem.

S. JOANNIS DAMASCENI
HOMILIAE
DE B. MARIA VIRGINE.

HOMILIA I.
In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

Sanctissimi patris nostri Joannis Damasceni sermo in angeli annunciationem incarnationis Christi ad illibatam dominam nostram Mariam[1]).

1. Jam tempus est, fratres dilectissimi, ut hac davidica voce exclamemus: *Quam*

---

1) Homiliam istam nusquam graece scriptam reperit Lequien, sed arabice tantum in cod. colbertino, qualis etiam exstabat Oxonii inter codd. mss. collegii baliocensis n. B. 10. cum praefixo Joannis Damasceni nomine: cujus eam esse fetum absque haesitatione censet. Ceterum magna parte manca videtur ac mutilata, nec integre reddita est ab interprete arabico. Hinc est, quod auctoris nostri ingenium venamque non satis ubique referat: quam tamen prima orationis pars non male repraesentat. Latinam translationem adornavit ill. D. abbas du Four de Longuerue, linguae arabicae peritus, eamque primum edidit Lequien, quem cf. in monito huic homiliae praefixo.

magnificata sunt opera tua, Domine; omnia in sapientia fecisti (Ps. 103, 24). Etenim praesens solemnitas festivitatum nostrarum initium est, et nostrarum solemnitatum caput: unde orta est salus nostra, ac lex nostra initium habuit. Nos enim eramus prius avitae ac primigeniae rebellionis rei, et adjecto illi insuper gravissimorum peccatorum reatu, facti eramus tenebrarum incolae ac regionum mortis, nec ullus ex prophetis a Deo missis et sanctis justis lumine nos illuminare poterat, redimendo a peccatis et nequitia praevaricationum nostrarum. Quamobrem creator ipse redemptor evasit, nosque sui ad nos accessus lumine illustravit, quemadmodum propheta ait: *Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam* (Isa. 9, 1.): nobisque commissa sunt secreta adventus ejus, cum ipse Gabrielem angelum misit annunciatum miracula incarnationis suae.

2. Hodierna dies solemnitatum nostrarum est origo et salutis nostrae initium. Hodie Filius Dei, qui temporibus anterior est, nunc temporis hominis Filius fit. Hodie initium est renovationis humanae naturae. Hodie facta est abolitio peccati primigenii. Hodie sanctificata est nostra natura, Creatoris in

ipsa inhabitatione. Hodie digna evasit, ut archangelis dominaretur. Hodie completum est tempus, de quo prophetarum oracula personuerunt. Hodie tempus completum est, quod sanctorum et electorum mentes desiderabant. Hodie Adam Creatori suo de progenie sua templum aedificavit, in quo tectus habitaret, et quod redimeret: Mariam virginem pretiosam, benedictam, sanctam, puriorem naturae adamicae partem, et humanae stirpis reginam: puram, qua nulla usquam corpore purior invenietur in omni genere humano: sanctam, qua nulla inter creaturas futura est intellectuales quoad animam sanctior: gloriam israeliticae gentis ac stirpis davidicae lumen: de qua avus ipsius David exclamat, propheticam vocem attollendo: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui: et concupiscet Rex speciem tuam* (Ps. 44, 11, 12). Haec illa est, cujus puritatis pulchritudinem concupivit Rex coelestis, misitque ad eam ministrum suum Gabrielem, ut ipsam salutatione laetitiae compellaret, certioremque faceret, esse se a Creatore electam, dicendo: *Ave, gratia plena; Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus* (Luc. 1, 28). Et quomodo benedicta non

esset et gratia plena, cum qua creaturarum Dominus fuit, copulando sibi ex ea templum, quo opem generi ipsius afferret?

3. Hodie qui format res omnes visibiles et invisibiles, effinxit sibi imaginem humanam. Hodie qui producit omnes creaturas spirituales et materiales, produxit sibi carnis figuram. O misericordiae Creatoris abyssum et excellentiam descensus ejus! Etenim cum ipse plasma suum liberare vellet, semet exinanivit et accepit formam servi, similitudine inventus ut homo (Phil. 2, 5—8). O beneficiorum magnitudinem, quae nemini pervestigabilis est! Nos enim rebelles in eum fuimus: ipse vero curam nostri suscipit. O bonorum istorum abundantiam, quorum pretium aestimari non potest! Nos equidem maxima peccata commisimus: ipse vero nos liberalitate sua ab eis redemit. Ipse sibi onus imposuit, quod nos ferre oportebat, emitque nos sanguine crucis suae ac liberavit a vinculo servitutis. Gloria sit magnitudini majestatis ejus, cujus non est finis.

4. *Quando angelum vidit Maria, turbata est ob sermonem ejus, secumque cogitare coepit, undenam esset ista salutatio. Angelus vero dixit ei: Ne timeas, Maria: nacta es gratiam Dei. Ecce concipies in*

utero, et paries filium: et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur. Et dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis. Et ait Maria: Quomodo verum esse comperiam, quod hoc mihi futurum sit, quando virum non cognosco? Angelus respondit et dixi ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque sanctum in te genitum vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata et ipsa concepit filium in senectute sua, et hic mensis sextus est illi, quae vocatur sterilis: quia difficile non est apud Deum omne verbum. Et dixit Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Tunc recessit angelus ab ea (Luc. 1, 29—38). Profecto gloriosa haec et illustris inter mulieres, gratiam nacta est apud Deum, cum ab eo electa est, ut corpus ex ipsa sumeret compingeretque ex sancto ejus sanguine: ut ei non fuerit in anterioribus puritate similis, nec futurus in posterioribus pari sanctitate praeditus. Nestorium itaque vecordem et amentem pudeat. Nam sanctum, quod ex perpetua virgine Maria natum est, Filius Dei appellandum erat, de-

scendente in eam Spiritu sancto eique Altissimi obumbrante virtute. Atque clare etiam angelus Trinitatis sanctae nominationem expressit, dum Spiritum sanctum Altissimique virtutem et Sanctum ex ea genitum [1]). Quin etiam manifesto indicavit substantiae Deitatis sanctissimae unitatem voluntatisque simplicitatem. Non enim persona Patris ac persona Spiritus sancti corpus assumpserunt. Incarnatio aeterni Filii facta est voluntate Patris atque opera Spiritus sancti.

5. Laudetur initium benignitatis illius, quae comprehendi nequit. Certe nobis angelus sospitationem protulit, cum ejus nobis intellectum fixit [2]), dicendo: Nulla res apud Deum difficilis est: ipsaque Maria, cum eximiae sanctitatis esset, excellentiam nobis

---

1) *Ex ea genitum*, supple *expressit*. Angelus incarnationis annuncians mysterium omnium trium personarum fecit mentionem. *Quin etiam manifesto indicavit substantiae Deitatis sanctissimae unitatem voluntatisque simplicitatem*, quatenus ad idem incarnationis opus tres concurrerunt personae divinae, non profecto quod una altera indigeret, ex potentiae defectu, sed quod communis sit tribus voluntas, operatio, natura.

2) *Cum ejus nobis intellectum fixit*, cum inculcavit, docuit, nullam rem apud Deum esse impossibilem.

monstravit humilitatis suae, angelum excipiendo, eique fidem integram posito timore adhibendo. In ea itaque completum fuit prophetae dictum: *Sed quem respiciam, dicit Dominus, nisi ad modestum placidumque, ac reverentem sermonem meum* (Isa. 66, 2)?

6. Jam certiores facti sumus, fratres, novimusque collatum nobis hac die nobilissima dierum beneficium; in ea, inquam, solemnitate, quae caeterarum est solemnitatum princeps [1]). Gloriam itaque praedicemus illius glorificatione spirituali, eumque laudemus, collata nobis ab eo munera perpetuis praeconiis celebrantes, et gratias agentes ea gratiarum actione, quam bona opera comitentur, offeramus ei sacrificia bonorum operum integra et absque vitio. Unusquisque quod valet, et quod vires ipsius assequuntur, offerat. Ac Deus quidem hoc jussit: *Non apparebis in conspectu meo vacuus* (Exod. 33, 20). Ipse autem summe laudabilis, qui omnium est bonorum causa, varias etiam dono-

---

1) *Solemnitatum princeps*, quia omnium solemnitatum est *principium*. Nam cum annunciatione simultanea fuit incarnatio Verbi: hinc festum annunciationis est proprie festum incarnationis Domini, a qua ut a radice et supposito reliquae pendeut solemnitates, ut nativitatis, epiphaniae etc.

rum species suscipit, cum ipse omnia gratiarum genera impertiatur; laetaturque ob propensum offerentis animum.

7. Quamobrem omnes simul accurramus, senes et adolescentes, aetate graves et juniores, omne agmen et genus praevenientes ad honorandum dominam nostram ac nostrae naturae reginam, laudibus praedicantes puritatis ejus decorem, perpetuam ejus virginitatem reverentes: altitudinem denique sanctitatis ejus honorantes, dicamus: O gloria filiarum, matrum decus! o genitricem viro incognitam! o virginem filio gravidam! O miraculum, quo missi a Deo prophetae perculsi sunt, et cujus gloria angelos sanctos superat! Propitia sis servorum tuorum, qui auxilium tuum implorant, deprecationibus. Intercede pro nobis apud Filium tuum Deumque tuum, uti peccata nostra condonet, infirmitati nostrae opituletur, liberet a Pharaone spirituali, sicut liberavit israelitas a gurgite, transire nos faciat hujus mundi mare fluctibus furens, ventis abundans, requiem nobis praestet ab opere laterum et luti intellectualis[1]), nosque tandem liberet a crudelibus

---

1) *Ab opere laterum et luti intellectualis,* a servitute (respicit servitutem aegyptiacam, quam tolera-

alienigenis[1]), qui graves adversum nos inimicitias exercent, ut peccata et impietates ipsorum agamus. O tu Maria, cujus non repellitur intercessio, nec recusatur oratio, quae simplici divinitati proxima es, propius ad Trinitatem sanctam accedens, quae altitudine cherubicis turmis sublimior es et seraphicis agminibus excelsior: per te quamdiu in hoc pereunte mundo manebimus, auxilium ad bona opera facienda consequamur, liberemurque ab actibus sceleratis, et post nostrum inde transitum ad Deum excelsum sempiternumque perveniamus, ad voluptatem regni coelorum et commorationem regionis vivorum, perennem vitam agentes, quam purgatae mentes desiderant, per Jesum Christum, qui causa est opulentiae nostrae, quam ipse nobis annunciavit, cum nos salvos fecit: ipsi glorificatio et sanctitas cum Patre et Spiritu sancto nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

---

bant judaei sub Pharaone et in qua lateres conficere debebant) et erroribus mohamedanorum seu saracenorum.

1) *Liberet a crudelibus.* Saracenos utique innuit, qui Damasceni tempore Palaestinam ac Syriam a centum annis usurpabant. Simile quid in aliis homiliis suis auctor repetit, ac praesertim in ea, quae de Sabbato sancto inscribitur.

HOMILIA II.

Joannis monachi et presbyteri, sermo in Annunciationem sanctissimae Dominae nostrae Dei Genitricis [1]).

1. Nunc reginae regale et eximie novum festum ac celebritas supra aureos solis radios

---

1) Orationem istam alteram in annunciationem b. Virginis Mariae, cujus doctissimi viri Philippus Labbe, in *conspectu operum* S. Joannis Damasceni, et Leo Allatius in *Catalogo* opusculorum ejusdem auctoris, quae Cl. Joanni Auberto miserat, mentionem fecerunt, reperi tandem in seguerianae bibliothecae codice 32., sed bona parte mutilam. Salutatoria allocutio est ad sanctissimam Dei nostri matrem, in qua tria occurrunt observatione digna: quorum primum est, auctorem gratias agere, quod per ipsam imagines sacras fideles habeant: alterum est, quod romanum imperium profunda pace per eam frui subjiciat; ac postremum tandem, ismaelitas seu saracenos saepe profligari et interfici Virginis opera. Haec profecto non ad ea tempora spectant, quae post emissum a Leone Isauro adversus imagines edictum succcesserunt, cum tunc fidelibus christianis per omne imperium graeco-romanum nulla pax esset, sed dirissima persecutio sub eodem Leone et filio ejus Constantino; quin etiam istorum imperatorum exercitus a saracenis frequentissime vincerentur. Unde orationem hanc pronunciatam arbitror sub primis annis Leonis, post obitum Izidi chaliphae, regnante ejus filio Hescamo, qui parentis edictum in Oriente adversus imagines latum statim initio principatus sui re-

effulsit. Nunc catholica et apostolica Ecclesia mirum in modum gestiens decorem ostentat suum. Nunc qui spectaculis gaudent ac dies festos colunt, solemnitatem solemnitatum agentes, frequentissimo populo conveniunt. Nunc coelestia, terrestria et inferna, et quaecunque in eis condita sunt, laetentur. Nunc illa praedicetur, quae omni ratione est praedicanda, ceu quae nullis non faustis acclamationibus celebrari debeat. Nunc Virgo extollatur, quae exaltata a Deo est, ceterisque praelata ac divino oraculo dignata. Nunc ea laudetur, quae multiplici tum nomine, tum lumine insignis est, ac super omnes res creatas sublimissima. Nunc beata dicatur Dei arca, quae Deum versantem secum et in se manentem habuit, orbique toti venerabilis est. Hodie siquidem in universo orbe gaudio et exsultationi vere indulgetur. Nunc eorum, qui dies festos amant, conventus voces edant. Nunc populi omnes cum Davide reginae ex Davide prognatae inclament: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei, Regis*

---

vocandum curavit. Ceterum hac in homilia spectatissimum habemus sanctissimi Joannis Damasceni ferventissimae erga Dei Genitricem devotionis argumentum, quam nullis non modis ei significare contenderet. Ita Leqien.

magni (Psal. 86, 3). Hodie prophetarum liber, qui exaratus a Deo est, aperiatur, deque perpetua ea puella, perpetua, inquam, virgine Maria recitetur. Hodie judaeae civitates exsultent ob animatam hanc civitatem. Hodie Gabriel festivissimae hujus celebritatis chororum princeps, Reginae sursum acclamet et dicat: *Ave, gratia plena, Dominus tecum* (Luc 1, 28). Hodie nos etiam, qui luteae linguae sumus, clamemus, et gloriosissimae ac luciferae Dei Salvatorisque nostri Jesu Christi matri verba quaedam gratiosa dicamus, vocibus istis jucunde gratulantes: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.*

2. Ave, gratia plena, quae ex omnibus generationibus, tribubus, populis, gentibus et linguis electa es. Ave, plena gratia, quae ante secula creatori ac regi seculorum fuisti destinata. Avesis, in qua vetus novumque Testamentum transactum fuit. Avesis, flos deiferorum patrum et patriarcharum multiplici flore constans. Avesis, praenunciatum nomen a prophetis, qui a seculo exstiterunt. Avesis, Adami orbis parentis atque a Deo formati soboles. Avesis, Evae filia, moderatricis illius ac mulierum primae. Avesis, ani-

mata theca et arca, illam referens, quam Noe struxit (Gen. 8, 15). Avesis, quae de Abraham gentium patris femore secundum promissionem Dei revera nata es. Avesis, scala ad coelum pertingens, quam magnus inter patriarchas Jacob olim vidit (Gen. 28, 12). Avesis flammans rubus, quam celebratissimus Moyses in monte Sina aliquando conspexit (Exod. 3, 2). Avesis, sanctitate vernans virga Aaronis, inter sacerdotes vere spectatissimi (Num. 17, 8). Avesis, tabernaculum novum purpura varium, quod variorum intextor Beseleel novo opere elaboravit (Exod. 36, 8). Avesis, oraculum aureum, ex lapidibus et auro textum. Avesis, propitiatorium, duobus seraphim obumbratum. Avesis, sacerdotale ephod summi sacerdotis stola. Avesis, aureum suffimentorum altare [1]) . . . . . laudabant voce magna angeli mei. Avesis, in qua propter nos carne habitans fuit, qui in Isaia ait: *Ego primus et ego posthac* (44, 6).

3. Avesis, o plena suppellex [2]), quae carne complexa es, quem nihil usquam ullatenus

---

1) Hic multa desunt in cod. Seguer.

2) *O plena suppellex*, graece ὦ Θεοῦ θεοφόρον κειμήλιον, o vas pretiosum Deum portans.

complectitur. Avesis, suppellex Deigera, et omni auditione longe superior auditio. Ave, idcirco ave, quia filium peperisti, quem Jacob innuit dicens: *Catulus leonis Juda, ex germine, fili mi, ascendisti* (Gen. 49, 9). Ave, quia filium peperisti, de quo Dei progenitor David ait: *Quia vivet, et dabitur ei de auro Arabiae* (Psal. 73, 15). Ave, quia peperisti filium, cui millia millium angelorum adsistunt, ut fert Daniel (Dan. 7, 10). Ave, quia peperisti filium, quem canit, laudat et benedicit coelestium ac terrestrium universa creatura. Ave, quia filium peperisti, quem multis oculis praedita cherubim Deum, et senis alis instructa seraphim Dominum praedicant (Isa. 6, 3). Ave, quia filium peperisti in nominatissima civitate David. Ave, quia filium peperisti, antiquiorem seculis ac recentem, ex fontibus Israel oriundum. Ave, quod infantem genueris infantium formatorem, quique universa continet. Ave, quod infantem genueris, virtutis et gloriae Patris consortem. Ave, quod infantem genueris, quadragesimo primo, ut admirabilis Lucas refert[1]), imperii Augusti Caesaris anno. Ave, quod genueris infantem, cujus causa angeli quamplurimi ad terram devenerunt. Ave,

1) Memoriae lapsus: nihil ejusmodi Lucas habet.

quod infantem genueris, cujus causa pastores, dum nocte gregem in agris excubantes custodirent, admiratione perculsi sunt. Ave, quod genueris infantem, cujus causa concinebant angeli: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis* (Luc. 2, 14). Ave, quod genueris infantem, cujus causa sonitus et strepitus auditur. Ave, quod genueris infantem, cujus causa Herodes animo aestuans perturbatur (Matth. 2, 3). Ave, quod infantem genueris, cujus causa cognata tua Elisabeth domo sua exsulat. Ave, quod genueris infantem, cujus causa Zacharias eximius sacerdos in medio templo necatur[1]). Ave, quod genueris infantem, cujus causa Bethleem militum manus perscrutatur. Ave, quod genueris infantem, propter quem armati gladiis carnifices mittuntur. Ave, quod genueris infantem, cujus causa geniti nuper vixque vocem imitantes infantes membratim conficiuntur. Ave, quod infantem genueris, cujus causa Rachel lacrymarum fluvios fundens, tristissimum carmen edit (Jerem. 31, 15). Ave, quod infantem genueris, qui octava die de legis Mosaicae praescripto circumcisus

1) Haec derivata sunt ex protoevangelio apocrypho *de natalibus J. Christi et ipsius matris V. Mariae* c. 22. s., de quo infra ad hom. IV. plura.

fuit (Luc. 2, 21). Ave, quod infantem genueris, qui, cum legem in tabulis lapideis insculpsisset, factus est sub lege ac legem implet. Ave, quod infantem genueris, quem recens editum canitie spectabilis sacerdos Simeon conspiciens, hinc dimitti studebat. Ave, quae genueris infantem, qui a prophetissa ac vidua Anna coram omni populo Dominus proclamatus est.

4. Ave, gratia plena; ave, per quam nobis innotuit, qui ante omnes colles genitus est, Deus, inquam, universorum potestatem habens. Ave, per quam nobis qui mundo sublimior est, innotuit, quique mundum ornatu vacuum ornavit et creaturam inconditam creavit. Ave, per quam innotuit, qui priusquam montes fierent, et formaretur terra et orbis, ex ingenito Patre genitus est (Prov. 8, 25). Ave per quam apparuit, qui coelum uti pellem extendit, et aridam super aquas abyssi stabilivit. Ave, per quam nobis innotuit, qui altissimum prorsus, quod mundum continet, admirandumque spectaculum praebet, mare arena frenat. Ave, per quam nobis innotuit, qui intaminatis, nec manu factis manibus Adam hominum primum formavit. Ave, per quam nobis apparuit, qui Abrahamo ait: *Nisi benedicens benedicam te, et mul-*

tiplicans multiplicabo te (Gen. 22, 17). Ave, per quam nobis innotuit, qui populum Israel ex Aegypti servitute olim liberavit, et Pharaonem regem interfecit in mari. Ave, per quam nobis innotuit, qui per singulas aetates conspicuum sese praebuit patribus et prophetis, et omnibus illis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Ave, per quam nobis innotuit, qui per viscera misericordiae hominis causa factus est homo. Ave, per quam nobis innotuit, qui solus inter sanctos sanctus est solusque inter gloriosos gloriosus, ac solus altissimus super omnem terram. Ave, per quam nobis innotuit qui solus a perpessionibus immunis est, solusque patientium socius, solus minime mendax, solus denique ex solo unigenitus Dei Filius ac Deus.

5. Salvesis, o Domina Dei Genitrix, per quam nobis ille generatur, cujus propria generatio est: nascitur, cujus propria nativitas est, et perfectus augetur[1]). Salvesis, o Do-

---

1) Graece δι' ἧς ἡμῖν γεννᾶται ὁ αὐτογενέθλιος, καὶ φύεται ὁ αὐτοφυὴς, καὶ αὔξεται ὁ τέλειος. Qui in se ipso rationem sui habet, nascitur. Quae quidem de Filio qua tali dici nequeunt, cum sit a Patre genitus: sed hic dicuntur ratione *divinitatis*, quae est αὐτογενέθλιος, αὐτοφυής. *Augetur*, nam Christus Dominus crevit secundum corpus.

mina Dei Genitrix, per quam incorporalis corporatur, et initium habet, qui sine initio est, et continetur, qui contineri nequit. Salvesis, o Domina Dei Genitrix, per quam vita donatur, qui ipsa vita est; quantitate crescit, qui quantitate caret; incarnatur, qui sine carne est. Salvesis, o Domina Dei Genitrix, per quam creatur, qui creatus non est: egenus fit, qui locuples est, et altissimus puer fit. Salvesis, Domina Dei Genitrix, per quam tractatur, qui tractari nequit; prehenditur, qui tangi non potest; gestatur qui cuncta gestat. Salvesis, o Domina Dei Genitrix, per quam lacte nutritur, qui universa procurat, alit et administrat Deus. Salvesis, o Domina Dei Genitrix, per quam Dei Filius et Verbum filius hominis inexplicabili bonae voluntatis propensione apparuit. Salvesis, o Domina Dei Genitrix, per quam qui sine matre est, sine patre exsistit, et novus conflatur Melchisedech (Hebr. 7, 5). Salvesis, o Domina Dei Genitrix, per quam transiit[1]) speciosus forma prae filiis hominum (Psal. 44, 3).

6. Salvesis, sola Mater Dei, quae a summo

---

1) *Per quam transiit*, sed ita, ut vera nativitate ex ea assumeret carnem.

coelo usque ad summum ejus (Psal. 18, 7), tamquam Genitrix, quemadmodum et David loquitur, occursum protectionis et auxilii habes. Salvesis sola Dei Mater, coelestium, et terrestrium, et infernorum magnificum atque illustrissimum decus. Salvesis, sola Dei Mater, quae radio omni lucidior es, et omni puritate purior. Salvesis, sola Dei Mater, quae omni re venerabilior es, omnique auditione praestantior auditio. Salvesis, sola Mater Dei, quae suavitate omni suavior es, omni re nobili nobilior, et omnibus divitiis affluente locupletior. Salvesis, sola Mater Dei, solum illud nomen christianae creaturae [1]) vere prorsus peregregium cunctisque amatissimum. Salvesis, Dei Mater, quae in secula adoranda es, quae in secula es praedicanda laudandaque per interminata secula. Salvesis, sola Dei Mater, quae in omnes generationes generationum ab angelis et hominibus una voce cum reverentia magnificaris.

7. Salvesis, sola inter reginas regina, quae regum quidem filia es, universorum autem Regis Mater, ac religiosorum regum et im-

---

1) *Christianae creaturae*, inter christianos, fideles, qui secundum Paulum nova sunt creatura in Christo Jesu.

peratorum robur. Salvesis, sola inter reginas regina, vestitu deaurato circumdata ac varietate, veluti psalmorum cantor David exclamavit (Psal. 44, 10). Salvesis, sola inter mulieres benedicta, quae primae parentis Evae lapsum restaurasti. Salvesis, sola inter mulieres benedicta, quae humillimum humi jacentium mulierum genus exaltasti. Salvesis, sola inter mulieres benedicta, splendida atque mirabilis, quae sola Christum Deum simul et hominem sine viri opera concepisti et sine dolore peperisti. Salvesis, sola vere inter mulieres benedicta et gloriosa, quae unam e sanctissima ternoque fulgore radianti Trinitate, nihil te flamma laedente, conceptum genuisti. Salvesis, sola inter mulieres benedicta, quae sola eum sine coarctatione complexa es, quem mundus capere nequit. Salvesis, sponsa sola a sponso libera, quae in sponsali Canticorum libro jam olim relata es. Salvesis, sola inter virgines Virgo, quae ante partum, et in partu, et post partum virgo permansisti. Salvesis, e portis sola porta clausa et sola e civitatibus civitas turribus munita.

8. Ave, vere gratia plena, ave, quoniam angelis tu sanctior es et archangelis praestantior. Ave, gratia plena, quoniam thronis

es admirabilior, dominationibus dominantior et majoris quam virtutes virtutis. Ave, gratia plena, quae principatibus superior es et potestatibus sublimior. Ave, gratia plena, quia speciosior es cherubim et augustior seraphim. Ave, gratia plena, quae coelis excelsior es, et sole, quem conspicimus, purior. Ave, gratia plena, quia omnibus, quae ab ortu solis sunt, nobilior es, et regali potestate majori polles super omnia mortalis naturae regna. Ave, gratia plena, quoniam longe tu melior es, quam illa vere bona amplaque terra melle et lacte manans. Ave, gratia plena, quia super nivem alba facta es et super mel dulcis. Ave, gratia plena, quoniam super lilia fragrans fuisti, et super rosas rubicunda, ac super varie decorum ver efflоruisti. Ave, gratia plena, quoniam super Jerusalem speciosa facta es et super Salomonis templum magnificata. Ave igitur, ave, et iterum dico, ave, gratia plena, quoniam plenum coelum est et terra magnitudinis tuae.

9. Ave, per quam nos humiles et abjecti secundam Christi salutarique lumine praeditam generationem ea qua par est religione adoramus. Ave, per quam nos mundi effectricem, vitae originem ac semper regnantem

Trinitatem cognovimus. Ave, per quam nos christianus populus Filii tui ac Dei nomine donati sumus. Ave, per quam inter unius, sanctae, catholicae atque apostolicae Ecclesiae cives descripti sumus. Ave, per quam nos multipliciter adorandam et saluberrimam crucem adoramus. Ave, per quam nos fidem, qua salvantur animae, ac lucis forma praeditam tenemus. Ave, per quam nos puram ac tremendam carnem, ad tremendam admodum mensam accedere audentes, participamus. Ave, per quam nos verum et immortalem panem gustamus. Ave, per quam nos e januis inferni ad coelos evecti sumus. Ave, per quam nos a maledictione redempti sumus et inexplicabili laetitia dignati sumus. Ave, per quam nos imaginum picturas, quae Christum repraesentant, colendaeque adeo ac venerandae sunt, adoramus. Ave, per quam nos gentilium ex auro fabricata daemonumque formis praedita simulacra conculcamus. Ave, per quam nos prisco illi superboque adversario resistimus.

10. Ave, per quam romanum imperium tranquillitate potitur. Ave, per quam regibus ut regnent datum est, et exercituum duces ducatum obtinent. Ave, per quam victoria in acie adversus alienigenas extra-

neaeque linguae nationes refertur. Ave, per quam exterae gentes veluti folia cadunt, et impii tanquam venti nemine persequente exagitantur. Ave, per quam qui armis pugnant clypeosque gestant, franguntur, quique ferro proteguntur, ante praelium consternantur. Ave, per quam ambidextri sagittarii repercutiuntur et sauciantur gentes, quae bella volunt. Ave, per quam barbarus et macellarius canis Ismael gladio occiditur. Ave, per quam fideles, qui in manicis ferreis misere captivi detinentur, e media armatorum manu evadunt. Ave, per quam mundus omnis protegitur et in perpetuum conservatur. Ave, per quam bonum omne in coelo et in terra oppigneratum nobis fuit. Ave, per quam benedictio nobis fidelibus scaturivit, quandoquidem nos populus tuus sumus, quamlibet peccatorum catenis et nexibus implicemur. Ave, per quam benedicitur infirmorum tum masculorum foenea substantia, tum imbecillis sexus mulierum erratica atque instabilis natura. Ave, per quam impii pietatem amplexi pie colunt et adorant venerabilissimum partum tuum. Ave, per quam auri amantes Christi amatores fiunt, et argenti amantes amatores hominum, atque pauperum amatores divitiarum studiosi. Ave ergo,

gratia plena, quia multi multas pecunias flocci fecerunt, ut te solam lucrarentur. Ave, quoniam multi multoties religiosorum imperatorum aurum propter te uti lutum habuerunt et argentum uti cinerem. Ave, quoniam complures Christi amantium reginarum fulgentes gemmis coronas auroque intextas purpuras propter te araneae tela viliores aestimaverunt. Ave, quoniam multi nobiles indicos pellucidosque uti crystallum lapides tui gratia aspernati sunt. Ave, quod multae, ut sic dicam, ex ipsis etiam illustribus mulieribus, tui causa nihili duxerunt, quaecunque ex bysso, coccino, purpura et serice contexta, admiratione digna videbantur. Ave, quoniam multae quoque mulierum adulterarum gemmis ornatas inaures armillasque foliis exiliores propter te censuerunt. Ave, quod multi saepenumero clarorum illustriumque virorum, quin etiam divitum, millia auri et argenti tamquam quisquilias et stercora habuerunt. Ave, quoniam propter te juniorum etiam complures juvencularum albicantes auroque fulgeutes stolas abjecerunt. Ave, quoniam multae tandem mulierum, quae auro ornabantur, nigras laneasque vestes gestare tua causa destinaverunt.

11. Ave, gratia plena, quoniam refugium facta es nobis, et pro nobis, qui sumus ex luto procreati, interpellatricem agis apud Filium Deumque tuum ac Deum nostrum. Ave, gratia plena, ave, omnium simul finium terrae communis salus omniumque christianorum christianum praesidium. Ave, gratia plena, ave, quae sola illis auxilio ades, qui auxilio carent, solaque maxima virtus es illis, qui nullis viribus valent. Ave, gratia plena, ave, sola humilium celsitudo, et inopum sola recuperatio, solaque orphanorum mater pauperumque ac viduarum. Ave, gratia plena, ave, sola fatiscentium refocillatio, solumque tegmine carentium tegmen. Ave, gratia plena, ave, sola captivorum redemptio, solaque exsulantium pulsorumque revocatio. Ave, gratia plena, ave, sola aegrotantium visitatio solaque infirmorum curatio, et eorum, qui a daemone vexantur, salus. Ave, gratia plena, ave, sola navigantium gubernatio solaque eorum, qui noctu iter agunt, viae comes et sodalis. Ave, gratia plena, ave, quia nostrum omnium oculi in te, quae sola pura es, spem collocant et te semper contuentur. Ave, gratia plena, ave, quae nobis semper humilibus praesidio es, nosque ab omni ira justa et comminatione eximis. Ave, gratia

plena, ave, quae semper custodis et lustrando foves egenum genus nostrum a tentationibus, periculis variisque calamitatibus. Ave, gratia plena, ave, quoniam nullus praeter Deum tale tantumque nomen sortitus est, aut talis unquam gloriae compos fuit. Ave, quae vere super omnes benedicta es, ave, propter quam hodie, supra quam ferat mundus, excellentiorem mundo diem celebramus. Ave, quae vere es super omnes benedicta; ave, propter quam hodie solemnitatem solemnitatum et celebritatem celebritatum populo omni coacto agimus. Ave, quae vere es super omnes benedicta; ave, propter quam nos in sacratissimis tuis basilicis congregamur, ut te alta voce collaudemus. Ave, quae vere es super omnes benedicta; ave, propter quam hodie apum more una intus collecti hymnorum cantum multiplicamus, uti nobis tu defensionem. Ave, gratia plena, ave, propter quam nos lumina gestantes, te splendide in Ecclesia extollimus. Ave, quae vere es super omnes benedicta; ave, propter quam nos hodie Davidis cum Davide et angeli cum angelo oraculis praelusimus. Ave, ave, quae vere es super omnes benedicta, ave, propter quam nos hodie captivi laudatores quadruplicem hanc salutatoriarum compel-

lationum pentacontadem contexuimus[1]). Ceterum, optima Domina, misericordiam extendas tuam in eos, qui te noverunt: ac respice in servos tuos et in opera tua, et cunctos dirige in viam pacis: quoniam omnium oculi in te sperant, teque sequestra reconciliationem cum Filio Deoque tuo ac Deo nostro nacti sumus: cui gloria, cui imperium, cui robur cum ipsius experte principii et ejusdem naturae Patre et sancto Spiritu, nunc et semper, et in infinita secula seculorum. Amen.

---

1) *Quadruplicem salutatoriarum compellationum pentacontadem contexuimus.* Constat scil. hic sermo biscentis salutationibus et praeconiis, quae pius orator noster b. Mariae V. tribuit praeeuntibus Davide et angelo, eaque saepe desumpta sunt e verbis Davidis aut angeli, vel horum verbis saltem aequipollent. Ceterum hisce splendide confirmantur, quae diximus in Marialogia th. CLXII., qua triplicem b Mariae Virgini vindicavimus praerogativam. Exhibetur enim praesertim n. 9. *cooperatrix* ad nostram salutem; lucidum admodum et efficax *exemplar* (n. 10.), atque *canalis* redundans omnis gratiae (n. 11.); proinde vero quodam sensu *mediatrix* nostra.

HOMILIA III.

Joannis humilis damasceni monachi et presbyteri sermo in sanctissimae Dominae nostrae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae natalitium diem [1]).

1. Adeste omnes gentes, omne hominum genus, lingua omnis et aetas omnis, omnisque dignitas; orbis universi laetitiae natalem diem laetis gaudiis celebremus. Si enim gentiles daemonum per commentitias fabulas clanculum animis illudentium ac veritatem obscurantium, regum item natalitios dies omni honoris genere prosequebantur, ac pro sua quisque facultate oblatis muneribus litabant, cum alioqui humanam illi vitam infestarent: quanto nos potiori jure Dei Genitricis natalem operae pretium est honorare, per quam universum mortalium genus redintegratum est, per quam primigeniae matris Evae luctus in gaudium est commutatus? Illa namque divinae sententiae decreto audivit: *In moeroribus paries* (Gen. 3, 16):

---

1) „Habent plerique ecclesiastici codd. (hunc sermonem) ceu monumentum in Mariam luculentissimum ac usu frequenti in ecclesiis Orientis lectitari solitum.“ Ita Combefisius in *biblioth. sua concionatoria* ad hanc hom.

haec, *Ave, gratia plena* (Luc. 1, 28). Illa, *Ad virum erit conversio tua* (Gen. 3, 16): haec, *Dominus tecum.* Quidnam igitur Verbi Matri nisi verbum et sermonem offeramus? omnis creatura una festive oblectetur, ac sacratissimum sacrae Annae laudet puerperium. Illa quippe mundo bonorum peperit thesaurum, quem vis nulla auferre possit. Per eam siquidem Creator naturam universam media humanitate in melius commutavit. Cum enim homo media inter mentem et materiam sede constitutus, rerum omnium conditarum, tum visibilium, tum invisibilium, nodus vinculumque sit, profecto rerum artifex Deus Verbum humanae naturae copulatum, ejus beneficio creaturae universae unitum fuit. Quapropter humanae sterilitatis depulsionem celebremus, qua bonorum impedimentum solutum est.

2. Eccur vero Virgo Mater orta est ex sterili? plane quia oportebat, ut ad id, quod solum sub sole novum futurum erat ac prodigiorum caput, via per prodigia sterneretur, paulatimque ab humilioribus ad sublimiora progressio fieret. Ceterum alia quoque altior diviniorque ratio a me afferri potest. Natura enim gratiae cedit, statque tremula pergere non sustinens. Quoniam itaque futurum erat,

ut Dei Genitrix Virgo ex Anna nasceretur, natura gratiae germen antevertere non ausa est: sed mansit fructus expers, dum gratia fructum ederet. Nasci siquidem primogenitam oportebat, ex qua nasciturus esset omnis creaturae primogenitus, in quo omnia constant (Coloss. 1, 15—17). O par beatum Joachim et Anna! vobis omnis creatura obstricta est. Per vos enim donum omnium donorum praestantissimum Creatori obtulit, nempe castam matrem, quae sola Creatore digna erat. O lumbos Joachim beatissimos, ex quibus mundissimum semen jactum est! o praeclaram Annae vulvam, in qua tacitis accrementis ex ea auctus atque formatus fuit fetus sanctissimus[1])! o uterum, in quo animatum coelum coelorum latitudine latius conceptum fuit! o aream, quae vivifici frumenti acervum protulit, juxta ac Christus ipse pronunciavit: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet* (Joan. 12, 24). O ubera, ejus

---

1) Haec aegre conciliantur cum conceptione maculata, imo diserte conceptionem *immaculatam* designant. Ceterum plane admirabilis tantoque theologo dignissima est ratio hic exposita, quare b. Virgo nata sit parentibus sterilibus vel saltem fuerit *primogenita.*

lactantia nutricem, a quo mundus alitur! o miraculorum miracula et rerum admirabilium res maxime mirabiles! Aequum quippe erat, ut ad ineffabilem Dei incarnationem, qua se ille ad nos inclinavit, iter per miracula muniretur. Verum quomodo ultra progrediar? Mens extra se rapitur, meque metus et cupiditas inter se partiuntur. Cor palpitat et lingua impeditur, voluptatem ferre nequeo: miraculis vincor, divino exstinctu lymphatum me affectus reddit [1]). Vincat vero cupiditas, cedat metus, canat Spiritus cithara: *Laetentur coeli et exsultet terra* (Psal. 95, 11).

3. Hodie sterilitatis portae aperiuntur divinaque porta virginalis procedit, ex qua et per quam qui est super omnia Deus (Rom. 9, 5), in orbem terrae corporali modo est ingressurus, ut Pauli arcanorum auditoris verba usurpem. Hodie virga de radice Jesse orta est (Isa. 11, 1), ex qua mundo flos divine subsistens ascendet. Hodie in terra ex terrena natura coelum ille condidit, qui olim ex aquis firmamentum compegerat et in altum

---

1) Graece: Ἔνθους ὑπὸ τοῦ πάθους (al. πόθου γέγονα, ab affectu quasi divinitus actus, in exstasim abreptus sum.

extulerat. Ac sane coelum istud illo longe divinius est ac stupendum magis. Nam qui solem in illo condidit, ex hoc ipse justitiae sol oriturus est. Duae naturae, furant licet acephali [1]); una persona, quamlibet rumpantur nestoriani. Aeternum enim illud lumen, quod ex aeterno lumine antiquiorem seculis exsistentiam habet; lumen, inquam, illud materia vacans et incorporeum ex ipsa corporatur, et tamquam sponsus de thalamo procedit (Psal. 18, 6), qui cum Deus sit, subinde factus terrigena, exsultabit ut gigas ad naturae nostrae currendam viam (Psal. 18, 6), per cruciatus ad mortem contendens: ut fortem alliget ipsiusque vasa, humanum utique genus, diripiat (Matth. 12, 29) et ovem errantem ad coelestem terram reducat (Luc. 15, 4. seq.). Hodie ille fabri Filius, rerum omnium artifex Verbum illius, qui per ipsum omnia condidit, forte illud Dei

1) *Acephali*, monophysitae, qui unam in Christo admittebant naturam, *acephali* inde dicti, quod pertinaciter suis inhaerentes erroribus ne transigere quidem voluerint cum Zenone imperatore, qui ad uniendos catholicos et monophysitas famosum ediderat *Henoticon:* atque idcirco se separarint a suae factionis ducibus et capitibus (inter quos fuit ex. gr. Petrus Mongus pseudopatriarcha alexandrinus), qui Henotico illi subscripserant.

altissimi brachium, obtusam naturae asciam Spiritu sancto ceu digito suo exacuens, animatam sibi ipse scalam fabricavit, cujus ima pars in terra firmata est, summa autem ad coelum usque porrigitur (Gen. 28, 12), cui Deus innitatur: cujus Jacob figuram vidit; per quam Deus nihil mutatus descendens, seu potius se indulgenter inclinans, in terra visus est et cum hominibus conversatus est (Baruch. 3, 36). Haec enim descensus ille significat, inclinationis demissionem, in terris conversationem, concessam iis, qui in terra agunt, ipsius cognitionem. Spiritualis scala, hoc est virgo, in terra firmata est; ut quae ex terra ortum habeat, caput vero ad coelum usque pertingat. Omnis namque mulieris caput est vir (Ephes. 5, 23): hujus autem, cum virum non habeat, Deus et Pater caput fuit, qui Spiritus sancti opera conjugii veluti foedus paciscens, tamquam divinum quoddam semen, Filium suum ac Verbum, omnipotentem illam virtutem emisit. Benigna quippe voluntate Patris, non ex naturali congressu, sed ex Spiritu sancto et ex Maria Virgine supra naturae leges, nulla mutatione Verbum caro factum est et habitavit in nobis (Joan. 1, 14). Dei siquidem cum hominibus conjunctio per Spiritum effi-

citur. *Qui potest capere, capiat* (Matth. 10, 12). *Qui habet aures audiendi, audiat* (Luc. 8, 8). A rebus corporalibus abscedamus. Passionis exsors divinum numen, o homines; qui nulla perpessione suapte natura prius genuit, nulla quoque perpessione eundem ipsum postea Filium genuit, certa dispensationis ratione[1]). Cujus testis est Dei parens David, ubi ait: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te* (Psal. 2, 7). Illud namque *hodie* in ea nativitate, quae seculis est anterior, locum non habet: quippe quae sine tempore est.

4. Hodie porta illa ad orientem posita exstructa est, per quam Christus ingredietur et egredietur (Ezech. 44, 2—4): et erit clausa porta, in qua Christus ostium ovium (Joan. 10, 9), cujus nomen Oriens (Zachar. 6, 12): per quem accessum ad Patrem luminis principium habuimus. Hodie perflarunt aurae totius orbis gaudii praenunciae. Laetentur coeli desuper terraque infra exsultet, mundi mare commoveatur. In hoc enim concha gignitur, quae coelitus ex divino fulgetro in utero habebit parietque pretiosissimam mar-

---

1) *Suapte natura . . . certa dispensationis ratione.* Graece: φυσικῶς . . . οἰκονομικῶς.

garitam Christum: ex qua Rex gloriae carnis purpura vestitus ad captivos veniens, remissionem praedicabit. Exsultet natura: agna enim in lucem editur, ex qua Pastor ovem induet ac veteris mortalitatis tunicas lacerabit. Choreas agat virginitas, quoniam, ut loquitur Isaias (Isa. 7, 14), nata virgo est, quae habebit in utero parietque filium, cujus nomen vocabunt Emmanuel, hoc est, *Nobiscum Deus*. Nobiscum Deus, agnoscite nestoriani ac tandem cedite; quia nobiscum Deus. Non angelus, non legatus, sed ipse Dominus venit et salvabit nos (Isa. 35, 4). Benedictus, qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis (Psal. 17, 26). Constituamus diem solemnem pro Dei Genitricis nativitate. Laetare, Anna *sterilis, quae non paris: erumpe et clama, quae non parturis* (Isa. 54, 1). Exsulta, Joachim, quoniam ex filia tua puer natus est nobis, et filius datus est nobis, et vocabitur nomen ejus *magni consilii*, salutis universi mundi *Angelus, Deus fortis* (Isa. 9, 6). Nestorius erubescat et ori manum imponat. Puer iste Deus est: qui ergo puerperam Dei Genitricem negas? „Si quis sanctam Virginem Dei Genitricem non confitetur, alienus est a Deitate.“ Non meum hoc dictum est, etsi meus

est sermo: hanc enim divinissimam hereditatem a theologo patre Gregorio accepi (ep. 1. ad Cled.).

5. O beatum par Joachim et Anna, immaculatissimum prorsus! Ex fructu ventris vestri cognoscimini, velut alicubi Dominus ait: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (Matth. 7, 16). Uti Deo gratum erat atque ea dignum, quae ex vobis orta est, vitae vestrae rationes instituistis. Casta enim et sancta conversatione vestra virginitatis monile protulistis, eam, quae ante partum virgo foret, atque in partu virgo, nec non virgo post partum; illam, inquam, quae sola semper tum mente, tum animo, tum etiam corpore virginitatem cultura esset. Par siquidem erat, ut germinans illic ex castitate virginitas, solum illum unigenitum lumen corporali ratione produceret, ejus benigna voluntate, qui incorporali modo ipsum genuisset; lumen utique non quod gignit, sed quod semper gignitur, ac cui gigni personalis sola proprietas est. O quot puella haec miraculorum et qualium foederum officina facta est! sterilitatis germen, virginitas pariens, Deitatis humanitatisque mixtio, passionis et impassibilitatis, vitae et mortis, ut in omnibus quod deterius erat, a potiori vin-

ceretur. Haec omnia salutis meae causa, Domine, gesta sunt. Tantus enim erga me amor fuit, ut non per angelos ullamve rem creatam salutem meam patraveris, sed uti primam effictionem, sic et instaurationem per temet feceris. Proinde tripudio, gloriabundus efferor, voluptate exsilio, ad prodigiorum fontem revertor, fluentisque gaudii ingurgitatus, citharam Spiritus iterum pulso, divinumque natalitiorum hymnum cano.

6. O castissimum rationalium turturum par Joachim et Anna! Vos castitatem, quam naturae lex praescribit, conservantes ea, quae naturam superant, divinitus estis consecuti: mundo quippe Dei matrem viri nesciam peperistis. Vos pie et sancte in humana natura vitam agentes, filiam angelis superiorem nuncque angelorum Dominam edidistis. O speciosissima dulcissimaque puella! o lilium inter spinas ex generosissima et maxime regia radice davidica progenitum! Per te regnum sacerdotio locupletatum est. Per te legis facta translatio est, patefactusque spiritus, qui sub lege delitescebat, translata nimirum ex levitica tribu ad davidicam sacerdotali dignitate. O rosa, quae ex spinis, judaeis scilicet, orta es divinoque odore cuncta perfudisti! O filia Adami et Dei mater! Beati

lumbi et venter, ex quibus prodiisti. Beatae ulnae, quae te gestaverunt: labia item, quibus castis osculis frui concessa est, parentum nempe duntaxat tuorum, ut in omnibus semper virginitatem coleres. Hodie mundi salus inchoata est. Jubilate Deo omnis terra, cantate, exsultate et psallite. Exaltate vocem vestram, exaltate, nolite timere. Nobis enim in sancta Probatica (seu pecuaria domo) nata est Dei mater, ex qua Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, nasci voluit. Salite, montes, rationales naturae, quae ad spiritualis contemplationis fastigium assurgitis. Mons quippe Dei clarissimus partu editur, qui collem omnem ac montem, angelorum scilicet et hominum sublimitatem, superat et transcendit: ex quo nulla manus opera corpore tenus exscindi voluit lapis angularis Christus, una illa subsistens persona, quae res prorsus discrepantes, divinam pariter humanamque naturam copulavit, angelos item et homines, gentiles et carnalem Israelem in unum spiritualem Israelem. Mons Dei, mons pinguis: mons coagulatus, mons pinguis: mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. (Ps. 67, 17). Currus Dei decem millibus multiplex, divinae gratiae copia exuberantium, cherubim, inquam, et seraphim. Vertex Sina san-

ctior, quam non fumus, non caligo, non procella, non terrorem incutiens ignis tegit: sed sanctissimi Spiritus vis illuminatrix. Nam illic quidem Dei Verbum tabulis lapideis Spiritu veluti digito legem insculpsit: in hac autem ex Spiritu sancto ejusque sanguinibus idem ipsum Verbum est incarnatum, seque ipsum nostrae naturae efficacissimum ad salutem remedium praebuit. Illic manna: in hac qui dulcem saporem mannae indiderat. Cedat celebratissimum illud tabernaculum, quod Moyses ex pretiosa omnigenaque materia in deserto paravit; quin et isto prius illud Abrahae tabernaculum vivo ac rationali Dei tabernaculo. Hoc enim non actionis divinae conceptaculum fuit, sed substantiali modo Filii Deique personae. Agnoscat arca undique auro contecta, quam nihil habeat, quod cum hac comparari possit, urnaque illa aurea manna ferens, candelabrum, mensa veteraque omnia. Illa enim, quod ejus figurae essent, honorem habuerunt, tanquam veri exemplaris adumbrationes.

7. Hodie tomum novum opifex omnium condidit Deus Verbum, quem ex corde Pater eructavit (Psal. 44, 2), Spiritu, qui Dei lingua est, tamquam calamo conscriptum: qui quidem homini scienti literas traditus, ne-

quaquam ab eo lectus fuit. Neque enim Joseph Mariam agnovit, autve mysterii hujus potentiam [1]). O Joachim et Annae sacratissima filia, quae principatibus et potestatibus igneisque maligni telis latuisti: quae in Spiritus thalamo versata es et sine macula custodita, ut sponsa Dei naturaque Dei mater esses. O sacratissima filia, quae in maternis ulnis cerneris apostaticisque virtutibus formidabilis es! O sacratissima filia, quae matris uberibus lactaris atque ab angelis undique cingeris! O cara Deo filia, parentum decus, quam, ut abs te vere dictum est, generationes omnes beatam dicunt! O digna Deo filia, humanae venustas naturae, primigenae parentis Evae emendatio! Tuo namque partu, quae ceciderat, erecta est. O sa-

---

1) Praeclara verborum Is. 29, 11. ad Mariam applicatio, de libro tradito scienti literas, qui illum legere non potuit. Ipsa fuit liber ille Verbo conscriptus, nam Verbum concepit: qui traditus fuit homini scienti literas, a quo tamen non fuit lectus; desponsata nimirum fuit b. Virgo s. Josepho illaesa tamen virginitate: neque s. Josephus initio intellexit mysterium, quod in sua contigit sponsa, sed pia fide illud postea credidit. En duplex modus, quo haec applicatio possit explicari. Ceterum adverte, quam *clare* in sequentibus s. doctor, idque *non semel immaculatam Deiparae* enunciet *conceptionem.*

crosancta filia, feminarum gloria! Quamvis enim prima Eva praevaricationis rea exstiterit, ac per eam mors, dum illa serpenti adversus primum parentem inserviret, ingressa sit: attamen Maria divinae obsequens voluntati, deceptorem anguem ipsa decepit ac mundo immortalitatem invexit. O filia semper virgo, cui nulla ad concipiendum necessaria viri opera est! Quem enim utero gestasti, hic sempiternum Patrem habet. O filia terrigena, quae Dei genitricibus ulnis Creatorem gerebas! certabant inter se secula, quodnam ortu tuo gloriaretur. Sed eorum contentionem superavit praefinitum Dei consilium, a quo secula facta sunt, ac postrema prima evaserunt, quibus tua fauste nativitas obtigit. Vere res omnes conditas dignitate antecelluisti. Nam ex te sola summus ille opifex partum assumpsit, massae nostrae primitias. Caro ejus ex tuis sanguinibus concreta fuit. Quin Deus ex tuis mamillis lac suxit, tuaque labia Dei labiis cohaeserunt. O miracula mentis captum et sermonem excedentia! Dignitatem tuam praecognoscens universorum Deus te proinde dilexit dilectamque praedestinavit, atque extremis temporibus produxit, ac Deiparam matrem suique Filii ac Verbi nutritiam fecit.

8. Sane quidem contraria contrariorum esse aiunt medicamenta: at non item ex contrariis contraria oriri. Quamquam alioqui unaquaeque res per contraria id, quod esse nata est, contexit ex abundantia ejus, quod esse nata est[1]). Velut enim peccatum mortem mihi per bonum operans, supra modum peccans ostenditur: sic bonorum auctor per contraria, id quod suapte natura est, nobis efficit. *Ubi enim abundavit peccatum, superabundavit gratia* (Rom. 5, 20). Nam si primam cum Deo societatem conservavissemus, praestantiorem et admirabiliorem nequaquam nacti essemus. Nunc autem per peccatum quidem a priori consortio pulsi sumus, cum id quod acceperamus servare neglexerimus: Dei vero clementia misericordiam consecuti assumptique sumus, ut ea

---

1) *Quod esse nata est.* Sensus est: Quaevis res per sua contraria pandit, manifestat, quid sit natura sua, nimirum ex abundantia nativa, seu aliis verbis: Quamvis ex contrariis contraria non oriantur, tamen unumquodque per suum contrarium pandit naturam propriam veluti ex abundantia sua nativa secundum illud, contraria juxta se posita magis elucescunt. Sic peccatum, quod per bonum quodpiam mortem nobis affert, paudit naturam suam malam: Deus vero per mala nostra, quibus indulget in tanta charitate, manifestat abundantiam bonitatis suae.

societas ab omni tuta periculo sit. Potest enim is, qui assumpsit, praestare, ut indivulsa sit conjunctio. Quia enim universa terra fornicando fornicata erat, ac Domini populus fornicationis spiritu abactus, a Domino Deo suo, a quo in manu potenti et brachio excelso acquisitus erat, atque in signis et portentis de domo servitutis Pharaonis eductus per mare rubrum traductus erat, et tum interdiu in nube, tum nocte tota in illuminatione ignis deductus, aberraverat. Et cor ipsorum in Aegyptum se converterat (Psal. 77, 12. ss.): ita ut Domini populus non populus Domini factus esset; et qui misericordiam consecutus misericordiam non consecutus; quique dilectus non dilectus (Rom. 9, 25.). Eam ob causam Virgo nunc antiquae majorum suorum scortationis adversaria [1]) nascitur, ipsique Deo sponsa jungitur, ac Dei misericordiam parit, ut efficiatur Dei populus, qui ante non populus, et qui non consecutus misericordiam misericordiam consecutus, quique non dilectus dilectus. Ex ea quippe nascitur Filius Dei

1) Graece: τῆς προγονικῆς πορνείας ἀντίπαλος ubi πορνείας laxiori accipitur significatione, qua de omni gravi peccato, infidelitatis praesertim, adhiberi solet in divinis literis.

dilectissimus, in quo Pater bene sibi complacuit.

9. Vitis uberrima ex Anna pullulavit uvaque suavissima effloruit, potum nectaris terrigenis fundens in vitam aeternam. Joachim et Anna ad justitiam sibi ipsi seminarunt ac vitae fructum messuerunt. Scientiae lumen sibi illuminarunt ac Dominum exquisierunt, venitque illis germen justitiae (Isa. 61, 11). Audaciam sumat terra ac filii Sion. Gaudete in Domino Deo vestro, quia germinavit desertum: sterilis protulit fructum suum. Joachim et Anna uti montes spirituales dulcedinem stillaverunt. Laetare, beata Anna, quod feminam pepereris. Haec enim femina Dei mater futura est, porta lucis, fons vitae, et feminarum crimen abolebit. Hujus feminae vultum deprecabuntur omnes divites plebis (Psal. 44, 13). Feminam hanc reges gentium muneribus oblatis adorabunt (Psal. 67, 30). Hanc feminam Deo universorum Regi offeres, virtutum, tamquam fimbriis aureis, circumamictam elegantia sanctique Spiritus gratia coronatam, cujus gloria ab intus (Psal. 44, 14). Omnis quippe feminae gloria vir est, a foris veniens: at Dei Genitricis gloria ab intus est, ventris utique fructus. O desiderabilissima femina ac terque beata!

Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. O femina regis David filia Deique omnium Regis Mater! O divinum vivumque simulacrum, cujus conditor Deus pulchritudine delectatus est, quod mentem quidem divinitus gubernatam habet Deoque soli addictam; cupiditatem vero omnem ad id, quod solum expetendum est et amore dignum, intentam; iram autem erga peccatum duntaxat ejusque parentem. Vitam natura potiorem habebis. Habebis autem non tibi ipsa, quippe quae non tuiipsius causa genita sis. Quocirca Deo hanc habebis, cujus gratia in mundum prodiisti, ut orbis universi saluti obsequaris Deique antiquum consilium, nimirum incarnationis Verbi ac nostrae deificationis, per te impleatur. Appetitus tuus divinis sermonibus nutrietur, hisque pinguesces tamquam oliva fructifera in domo Dei, tamquam lignum plantatum secus decursus aquarum Spiritus (Psal. 1, 3), tamquam vitae lignum, quod fructum vitae dedit praefinito suo tempore, Deum scilicet incarnatum, aeternam universorum vitam. Cogitatum omnem alumnum [1]) habens et animae

---

1) *Alumnum* τρόφιμον alentem, qui animam confortabat, nutriebat.

proficuum, ac supervacaneum omnem et animis exitiosum prius reprobans, quam eum degustes. Oculi semper ad Dominum, perenne et inaccessum lumen intuentes. Aures, ut divinum sermonem audiant ac Spiritus cithara oblectentur, per quas Verbum, ut carnem assumeret, ingressum est. Nares unguentorum sponsi odore deliniuntur; qui quidem divinum unguentum est, sponte effusum suamque humanitatem perungens: *Unguentum enim effusum nomen tuum*, inquit Scriptura (Cant. 1, 2). Labia Dominum laudantia ipsiusque labiis adhaerentia. Lingua et fauces Dei verba discernentes divinaque suavitate ad satietatem usque perfruentes. Cor purum et labis expers, Deum videns omni labe carentem ejusque cupiditate flagrans. Venter ejus domicilium, quem nullus locus capit. Lactis ubera, quae Deum aluerunt, nempe puellum Jesum. Dei porta perpetua virginitate nitens. Manus Deum gestantes ac genua thronus cherubim sublimior, quarum ope remissae manus et dissoluta genua convaluere. Pedes lege Dei velut lucerna deducti ac post eum irretorto cursu properantes, donec amatum ad amantem traxerunt. Tota thalamus Spiritus, tota civitas Dei vivi, quam laetificant fluminis

impetus, sancti, inquam, Spiritus gratiarum fluctus. Tota pulchra, tota Deo propinqua: haec enim cherubim superans et super seraphim evecta proxima Deo exstitit.

10. O miraculum omnibus miraculis excellentius! Mulier sublimior seraphim effecta est, quia Deus visus est angelis paulo minus minoratus (Hebr. 2, 9). Sileat sapientissimus Salomon, nihilque jam sub coelo novum esse inficietur (Eccle. 1, 10). O Virgo divinis gratiis affluens, templum Dei sanctum, quod spiritualis Salomon, ille princeps pacis abs se constructum inhabitavit: templum, inquam, non auro et inanimis lapidibus decoratum, sed auri loco Spiritu fulgens; pro lapidibus pretiosis pulcherrimam margaritam habens Christum, Deitatis illum carbunculum, quem ut labia nostra tangant supplex precare, ut sic purgati ipsum cum Patre et sancto Spiritu laudemus clamantes: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, *Dominus Sabaoth* (Isa. 6, 6), una Deitatis in tribus personis natura. *Sanctus Deus* et Pater, qui in te et ex te mysterium perfici voluit, quod ante secula praefinitum erat. *Sanctus fortis*, Dei Filius ac Deus unigenitus, qui et primogenitam hodie ex sterili produxit, ut unigenitus ipse ex Patre et primogenitus omnis crea-

aturae, unigenitus nasceretur ex te Virgine matre, primogenitus in multis fratribus, simili nobis ratione carnis et sanguinis, quae ex te assumpsit, particeps factus. Atqui te non ex solo genitore aut ex sola produxit matre, ut soli Unigenito unigeniti proprietas modis omnibus absoluta servaretur. Solus enim ipse unigenitus est ex solo Patre, et solus ex sola Matre. *Sanctus immortalis*, sanctissimus Spiritus, qui divinitatis suae rore te conservavit, ne ab igne divino absumpta fueris. Nam te hoc quoque Moysis ille rubus praesignabat.

11. Salvesis, probatica [1]), Dei Matris sacratissimum delubrum. Salvesis, probatica, avitum reginae domicilium. Salvesis, probatica Joachim, pecorum quondam caula, nunc autem rationalis Christi ovilis Ecclesia, coelum repraesentans; quae olim quidem quotannis semel angelum Dei excipiebas turbantem aquam unumque valetudini restituentem, nunc autem coelestium virtutum copiosissimum agmen habes Dei Genitricem laudantium nobiscum: illam miraculorum abyssum, mundi universi curationis fontem,

1) Ita vocabatur domus, in qua secundum piam traditionem b. Virgo nata ferebatur: eaque videtur fuisse adnexa piscinae illi, cujus mentio fit Joan. 5, 2.

quae non angelum ministrum suscepit, sed magni consilii Angelum, qui sicut pluvia in vellus sine strepitu descendit, totamque naturam laborantem et ad interitum vergentem ad firmam sanitatem vitamque senii expertem instauravit: per quem paralyticus, qui in te jacebat, tamquam cervus exsiliit. Salvesis, veneranda probatica, incrementum gratia tua sumat. Salvesis, Maria, Annae dulcissima puella: nam me rursum ad te amor pertrahit. Quonam modo incessum tuum gravitate plenum describam? quomodo amictum? quomodo venustatem oris? senilem illam in juvenili corpore prudentiam? Honestus vestitus fuit, mollitiem et luxum omnem fugiens. Gressus gravis, nec praeceps, nihil fractum ac molle habens. Mores severi et hilaritate temperati, per quos nullus ad te viris accessus pateret. Testis est metus ille, in quem ex inusitato angeli alloquio incidisti. Parentibus morigera et obsequens eras. Animus humilis in sublimissimis contemplationibus. Sermo jucundus, ex leni anima progrediens[1]). Quid demum aliud

1) Opportune cum hac descriptione ea confertur, quam legimus apud Ambrosium l. 2. *de virg.* c. 2., quae licet sit prolixior, apte huic tomulo, qui ad Marialogiam pertinet, inseretur, ut eo magis ap-

quam Deo dignum domicilium? Merito te beatam praedicant omnes generationes, ut

---

pareat concentus inter Orientem et Occidentem in depraedicanda ss. Dei Genitrice. Ita ergo disserit l. c. s. doctor: „Sit igitur vobis tamquam in imagine descripta virginitas vita Mariae, de qua velut speculo refulgeat species castitatis et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effingere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam Splendor elegit? quid castius ea, quae corpus sine corporis contagione generavit? Nam de ceteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quae nullo doli ambitu sincerum adulterarat affectum: corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior: non in incerto divitiarum, sed in prece pauperum spem reponens: intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quaerere: nullum laedere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, aequalibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu laesit parentes? quando dissensit a propinquis? quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem, eos solos solita coetus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque praeteriret verecundia? Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior; ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vesti-

eximium humani generis decus. Tu sacerdotum gloria, christianorum spes, virgini-

---

bulo debet agnosci, ac primo praetendat ingressu nihil intus latere tenebrarum; ut mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tamquam lucernae lux intus posita foris luceat. Quid ego exsequar ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam: alterum ultra naturam superfuisse, alterum pene ipsi naturae defuisse: illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos jejunio dies? Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas quam necessitas fuit; et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda praenunciat. Prodire domo nescia, nisi cum ad Ecclesiam conveniret, et hoc ipsum cum parentibus, aut propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu; nullo meliore tamen sui custode quam se ipsa: quae incessu affatuque venerabilis, non tam vestigium pedis tolleret, quam gradum virtutis attolleret. Ut tamen alios habeat virgo membrorum custodes suorum, morum autem suorum se habeat ipsa custodem: plures erunt de quibus discat, si ipsa se doceat, quae virtutes magistras habet; quia quidquid egerit, disciplina est. Sic Maria intendebat omnibus, quasi a pluribus moneretur: sic omnia implebat virtutis officia, ut non tam disceret, quam doceret. Talem hanc evangelista monstravit, talem angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, ut eam parentes dilexerint, extranei praedicaverint, quae digna fuit, ex qua Dei Filius

tatis uberrima planta. Per te enim virginitatis honestas sese latissime effudit: *Bene-*

---

nasceretur? Haec ad ipsos ingressus angeli inventa domi in penetralibus, sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet; neque enim comites feminas desiderabat, quae bonas cogitationes comites habebat. Quin etiam tum sibi minus sola videbatur, cum sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot archangeli, tot prophetae? Denique et Gabriel eam ubi revisere solebat, invenit; et angelum Maria quasi virum specie mota trepidavit, quasi non incognitum audito nomine recognovit. Ita peregrinata est in viro, quae non est peregrinata in angelo, ut agnoscas aures religiosas, oculos verecundos. Denique salutata obmutuit, et appellata respondit: sed quae primo turbaverat affectum, postea promisit obsequium. Quam vero religiosa in propinquas fuerit, Scriptura divina significat. Nam et humilior facta est, ubi se a Deo cognovit electam, et statim ad cognatam suam in montana processit: non utique ut exemplo crederet, quae jam crediderat oraculo: *Beata enim*, inquit *quae credidisti* (Luc. 1, 56). Et tribus cum ea mensibus mansit. Tanti autem intervallo temporis non fides quaeritur, sed pietas exhibetur. Et hoc posteaquam in utero parentis exsiliens puer matrem Domini salutavit, prius compos devotionis, quam naturae. Inde tot sequentibus signis, cum sterilis pareret, virgo conciperet, loqueretur mutus, adoraret magus, expectaret Simeon, sidera nunciarent, Maria mobilis ad introitum, immobilis ad miraculum: *Conservabat*, inquit, *haec omnia in corde suo* (ib. 2, 19). Quamvis mater Domini, discere tamen praecepta Domini desiderabat: et quae Deum genuerat, Deum tamen

dicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Qui te Dei Genitricem confitentur, hi benedicti sunt: qui inficiantur, maledicti.

12. O sacrum par Joachim et Anna, natalitiam hanc orationem a me accipite! O Joachim et Annae filia et domina, orationem suscipe servi peccatoris, qui te tamen ardenter amat colitque, teque solam gaudii spem habet et vitae praesidem, nec non apud Filium pacatricem ac certam salutis arrham. Peccatorum sarcinam discute, menti tenebras offundentem nebulam terrenamque crassitiem dissipa, tentationes comprime, vitam meam fauste guberna, ut ad coelestem beatitatem per te ducar, pacemque mundo concilia. Uni-

---

scire cupiebat. Quid, quod annis quoque omnibus ibat in Hierusalem solemni die Paschae, et ibat cum Joseph? Ubique in virgine comes singularum virtutum est pudor. Hic individuus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas. Nec ad templum igitur Maria sine pudoris sui custode processit. Haec est imago virginitatis. Talis enim fuit Maria, ut ejus unius vita omnium sit disciplina. Si igitur auctor non displicet, opus probemus; ut quaecunque sibi ejus exoptat praemium, imitetur exemplum. Quantae in una virgine species virtutum emicant? Secretum verecundiae, vexillum fidei, devotionis obsequium: virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum.“

versis hujus civitatis orthodoxis absolutam numeris suis laetitiam sempiternamque salutem praesta tuorum parentum universique coetus Ecclesiae precibus. Fiat, fiat. *Ave, Maria gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui*, Jesus Christus Dei Filius. Ipsi gloria cum Patre et Spiritu sancto in infinita secula seculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Ejusdem sermo alter in eandem sanctissimae Dominae nostrae Deiparae natalem diem.

1. Splendide hodie diem festum agit condita natura, dum novum coelum, Virginem accipit. Puella in terris nata est, Regis coelorum animatus thalamus. Juvencula solis radios fulgoribus obscurans, infans ex sterili effulsit, sacratissimum virginitatis sacrarium. Quis ad celebritatem non conveniet? quis solemnia atque Virgini cara dona non deferet? Munus pulcherrimum iis, qui virginitatem colunt, integritas incorrupta, nuptis castitas; divitibus erogatio; pauperibus gratiarum actio; his qui praesunt, mansuetudo; regibus justitia; sacerdotibus sanctitas; cunctis denique recta in omnibus insti-

tutio. Quia vero ejusmodi munera sunt, iisque splendor enitescit, agite, gestiamus et gratiarum actionis cantica depromamus cum Davide: *Exsultemus Domino, jubilemus Deo Salvatori nostro* (Psal. 94, 1). Omnium Conditori templum, quo excipiatur, exstructum est: quia Verbo rerum opifici hospitii domus est parata: Soli justitiae expansa lucis nubes; immortali Sponso divini decoris thalamus erectus; ei qui coelum nubibus operit, divinitus texti amictus tela consurgit: ei, qui tempestatibus tempestates annosque commiscet, nuptiale conclave editum.

2. Choros, juvenculae, ducite: Virginis namque dies est natalis. Salite, matres: matris enim fructus Virgo est. Bono animo, steriles, estote, in eam intuentes, quae, cum prius sterilis esset, divinam posthac prolem enixa est. At neque puellae choro desint, diem ejus natalitium celebrantes, quae sola puellarum apex et regina exsistit: *Clangite tuba super montes; sonate super excelsa; praedicate in Jerusalem* (Osee 5, 8), quod quidem per Osee hic nobis etiam praecipitur. David Deiparens, gaude animo; Isaia prophetarum primus, exhilarare; alter quidem, quod tuis ex lumbis, uti juratum erat (Psal.

131, 11), regina procedat, ex qua Deus fructum tuum super sedem tuam positurum promiserat: alter vero, quod finem habeat vaticinium illud tuum: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ascendet* (Isa. 1, 11). Virga Virgo est, ex qua integro decore muliebri floridus perennisque flos Christus assurgit.

3. Quid enimvero huic illive gaudendum definio, nec voce omnia complectente exsultationem indico? *Laetetur coelum desuper, et nubes pluant justitiam: pullulet terra et germinet misericordiam, et justitia oriatur simul* (Isa. 45, 1). Quid ita? quia Deo Jacob tabernaculum manifestatum est: quia locus sanctus sanctissimo Verbo ostensus est. Clamet patriarcharum amplissimus Jacob: *Quam terribilis est locus iste! non est hic, nisi domus Dei, haecque porta coeli* (Gen. 28, 17). O ineffabiles auditiones! o insolitos eventus! Quae nova haec narratio? Quae stuporem ingerens et sermonis vim fugiens isthaec parabola? Cum coelum coeli, uti Scriptura prodit (3. Reg. 3, 27), haud tibi sufficiant, quaenam tibi sufficiens naturalis habitatio fuerit? *Annon coelum et terram ego impleo, dicit Dominus* (Jerem. 23, 24)? Et ubinam rerum tali ac tanto, quique

omnem comprehensionem exsuperat (non enim quod infinitum est, in quantitate haeret), locus, qui complectatur, occurrat? *Coelum mihi*, ait, *sedes est, et terra scabellum pedum meorum* (Isa. 66, 2). Quaenam vero ei, qui interrogat, domus exstruitur, quisve locus inveniatur, in quo requiescat? At vero inventus exhibitusque est. Qua vero ratione quove modo? hoc namque est quod nunc quaeritur. Tantisper exspecta, dilecte, et ejus quod optas, solutionem accipies.

4. Cum homo per immensam Dei bonitatem in rerum naturam edendus esset, in primis coelum extenditur, substernitur terra, suis mare terminis clauditur, ceteraque omnia, quibus utraque complenda essent, in universi ornatu una producta sunt. Tum postremum homo regio cultu in paradiso velut in virtutis schola ponitur: ac nisi violasset praeceptum, a vitali illo loco nunquam exsulasset: cumque expers indumenti esset, nisi divinis consiliis obstitisset, haudquaquam in multis variisque affectionibus obnoxiam mutationem cecidisset, ut Dei monarchae loco plura numina coleret. Cunctis itaque, ut verbo expediam, interitioni deditis, miserante Deo, ne, quem suis ipse manibus formasset, in nihilum cederet penitusque abo-

leretur, coelum aliud novum terramque ac mare fabricat, in quibus propensiori consilio humanum genus reformaturus ipse caperetur, qui capi nusquam potest. Isthaec porro est beata multipliciterque celebranda Virgo. O rem miram! Coelum quidem est, cum velut ex penitissimis virginitatis thesauris Solem justitiae proferat: terra vero, ceu quae ex intemeratis lumbis vitae spicam edat: mare tandem, utpote quae ex uteri sui sinu spiritalem margaritam prodit. Nunc itaque nova ejus, qui capi nequit, creatura eluxit: universorum Regis regalis aula parata est, ejus, qui incomprehensibilis est, ratione utens diversorium instructum. Quam mundus iste magnificus est! quam stupenda creatio, quae virtutum arboribus venustatem habet, castitatis odore fragrat, sensorum splendoribus claret, cunctisque bonis aliis nulla penuria fruitur; digna denique prorsus est, in qua Deus ad homines veniens inhabitet! Quinimo, inquit, mundus anterior quam maxime est admirabilis. Tum enim, cum *creata sunt sidera, laudaverunt me voce magna angeli mei* (Job 38, 7), et praedicaverunt. Nihil vero sic Deo decens gratumque fuit, uti sancta omnibusque modis miranda Virgo. Quod ita esse ex patientis-

simo Job noveris. Nam coelum quidem minime mundum esse ait, nec stellas in conspectu ejus reprehensione vacare (Job 25, 5). Hac vero quid purius sit? quid irreprehensibilius[1])? quippe quam Deus supremum ac purissimum lumen sic amaverit, ut illapsu Spiritus sancti substantialiter cum ea commixtus sit, ex ipsa perfectus homo, nihil demutato aut confuso eorum, quae propria sunt, statu, prodiens. Rem plane mirabilem! Qui humanissimus est, ancillam suam in parentem sibi adsciscere non erubuit. O indulgentiae demissionem! Qui eximie bonus est, proprii figmenti proles audire non renuit, amore captus illius, quae creatis omnibus speciosior est; illam amplexus, quae coelestibus virtutibus dignitate praeit. De hac itaque summe admirabilis Zacharias ait: *Gaude et laetare, filia Sion, quia ecce venio, et habitabo in medio tui, dicit Dominus* (Zach. 2, 10). Sed et beatissimus Joel de eadem, ut quidem existimo, ita propemo-

1) Tota haec praeclara Damasceni disputatio omnem maculae originalis umbram funditus excludit a Deipara. Si enim Deus intuitu primi hominis tanta sollicitudine et arte universum hoc construxit, quanto majori studio et diligentia intuitu Filii sui unigeniti incarnandi usus est in paranda ejusdem matre?

dum noscitur clamare: *Confide, terra, gaude et laetare, quia magnificavit Dominus, ut faceret tibi* (Joel 2, 21). Terra namque est, in qua sacratissimus Moyses umbraticae legis calceamentum solvere ob gratiae commutationem jussus est. Terra est, in qua ille carne fundatus a Spiritu canitur, *qui fundat terram super stabilitatem suam* (Psal. 103, 5). Terra est, quae non semine suscepto eum protulit, qui omnibus escam praebet. Terra est, in qua nulla peccati enata spina [1]); secus vero per cujus germen illud potius evulsum est. Terra est, non uti prior maledicta, ac cujus fructus spinis ac tribulis horrescant; sed super quam benedictio Domini fuit, et cujus fructus ventris benedictus, ut sacro dictum est oraculo (Luc. 1, 28).

5. Haec cum ita se habeant, ag', jam videamus ex quo genere semper virens virginitatis ramus recta venerit; quis genitor, quaeve genitrix illius exstiterit. Joachim scilicet et Anna, illustre celebratissimumque Verbi par, conjugiis omnibus divinior compages. Cujus enim ramus omnia exsuperat,

---

1) *Nulla peccati enata spina.* Ergo b. Virgo immunis fuit non solum a peccato originali, verum etiam a peccato actuali et a concupiscentia, quae ingrata nimis est spina peccati Adami.

cur radix cum eo non maxime congruat? Atqui probis radicibus planta sic magnifica et eximia interim fructu carebat. Limpidissimus fons, sed qui nullum fluentum emittebat. Deprecanda calamitas, graves diraeque circumstantiae! Quid igitur? *Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos* (Psal. 33, 18): qualia quidem longe antea David divinissimo afflatu significaverat. *Clamaverunt justi*, inquit. Universi generis humani personam par istud meo sensu referebat. Quocirca universum genus humanum Dei cognitione destitutum cernebant: mundum ob infidelitatem viduum, cum, psalmista teste, *Omnes declinassent, simul inutiles facti sunt* (Psal. 13, 3). Molesta inordinatio moestae sterilitatis dispendia erant. *Clamaverunt justi.* Ubinam? in proprio horto [1]).

---

1) *In proprio horto.* Haec hausit Damascenus ex veterum traditionibus, quae sat vulgatae erant in Oriente, et ex quibus plures receptae sunt in evangelia apocrypha, quae magno numero ibidem circumferebantur. Inter haec eminet *Protoevangelium* sive de natalibus Jesu Christi et ipsius matris Mariae sermo historicus s. Jacobi, qui in nonnullis codd. (sed posterioris aetatis) *apostolus* dicitur aut *frater Domini.* Antiquissimam eam historiam esse dubitari adeo non potest, ut Thilo (*codex*

Quapropter, cum ex paradiso tristis peccati noxa exiisset, ibi omnium primae matri universorum Deus dixit: *Multiplicans multiplicabo dolores tuos et gemitum tuum. In doloribus paries, et ad virum tuum conversio tua* (Gen. 3, 16). Quid clamaverunt? uteri fructum, id est uberem Dei notitiam postulantes. Adonai Domine Eloi Sabaoth, sterilitatis probrum non ignoras, quanto moerori subjaceant, qui fructus sunt expertes, nosti. Si respiciens respexeris in humilitatem servorum tuorum, dederisque servis tuis prolem, dono eam coram te donabimus. Exaudivit itaque eos Dominus, qui velox est ad miserandum et tardus ad iram, donans eam, quae proprie Mariae nomen gerit, in splendidum et magnificum pro Eva pretium. Ma-

---

apocryphus N. T. t. 1 prolog. §. 4.) pronunciare non dubitet, haud improbandam esse Combefisii sententiam, qui (*Auctar.* t. 1. col. 1224.) eam ad aevum apostolicum referendam censet. Et certe usos ipsa esse Originem, Gregorium nyss., Eustathium antiochenum, Epiphanium, Andream cretensem, auctorem nostrum etc. ex eorum scriptis manifestum est: quinimo eam allegasse tum Clementem alex., tum Iraenaeum ac forte ipsum Justinum M., communiter consentiunt eruditi. Cf. Thilo l. c., Ballerini in *sylloge monumentorum* t. 1. in monito ad Joannis euboeensis orat. n. 7.

tris medicamentum filia effecta est: divinae reformationis nova conspersio, sanctissimae generis primitiae: rami divino ore prolati radix[1]): primi parentis exsultatio. O beneficium! o munificentiam! Numquid non sol splendidiores nunc radios ejaculatur, qui gaudii exsuperantiam velut persentiscat? Annon natura omnis quodam modo superbit ac gloriatur, libertatem a corruptela sperans in illius nativitate, quae sine labe mundi liberatorem est paritura. Sed et quae sequuntur, inspice. Libens, velim audias, dilectissime, nec te perscrutari pigeat. *Mulge*, inquit Scriptura (Prov. 30, 33), *lac, et erit butyrum.* Consentaneus justorum precationis locus. In horto preces fundentes, hortum priore longe feliciorem genuerunt. Illic susurro serpens Evam facili arte seduxit. Hic Gabriel archangelus Mariam laeto sermone conveniens turbavit quidem, sed non decepit. Illic serpens auditus tristem mortem importavit: hic angeli suada sempiternae jucunditatis vitam hominum generi vicissim invexit. Illic doloris plena sententia et quae ex praevaricatione paritura est: hic Spiritus sancti adventus gaudio eam com-

1) *Rami divino ore prolati*, Verbi a Patre geniti.

plens, quae ex prophetae oraculo partus dolores effugit. O rerum commutationem! o novitatem eorum, quae modo geruntur! *Vetera transierunt* (quod hic quoque dicatur), *et ecce facta sunt omnia nova* (2. Cor. 5, 17). Domus initium [1]), secundum exquisitissimam ejus considerationem, Deique ad homines adventus inchoatio est praesentis diei solemnitas praefulgens.

6. Habes, carissime, rei de qua quaerebatur, solutionem. Jam promissi debitum recepisti. Adesdum, tu quoque cum Isaia Isaiae voces proloquere: *Domine Deus meus, glorificabo te: laudabo nomen tuum, quoniam fecisti res mirandas, consilium antiquum verum* (Isa. 25, 1). Nec multo post in Sancta quoque sanctorum introeuntem beatam visurus es, ceu jam sanctissimo Numini consecratam: tum deinde eum utero concipientem, qui comprehendi non potest. O prodigium! In exigua corporis mole illum habitare, qui pugillo cuncta continet. Qui vero, o Christi hostis (ut paucis alio digrediar), non circumscriptus est [2])? Quod etsi,

---

1) *Domus initium*, Matris initium, in qua Deus Verbum habitare dignatus est.

2) Haec dicta sunt contra Copronymum icono-

inquit, nobis similis, at superior tamen exstitit. Quid vero refert? Non enim penes formam humanam discrimen ac varietas est, sed penes naturam divinam. Scilicet maternis uberibus humano more lactabatur; at divino vitam matri praebebat. Nostri more articulata voce loquebatur: supra nos vero divina potestate mandabat, unde miracula patrarentur. Terrenis pedibus nostro modo ambulabat; quod autem maris dorsum calcaret, hoc supra nostram conditionem erat. Nostri instar carne crucifigebatur: at superiori nobis potentia adversas potestates in cruce affigebat. Ex his alia ad naturam certis terminis definitam pertinent, utpote nobis similem: alia ad incircumscriptam, quae nobis superior est. Ita nempe ut neutra alterius naturales proprietates substantiali congressu vitiet, sed intra suos quaeque terminos consistat. Tu vero hoc cavens, ne circumscribas sive in imagine repraesentes (haec enim idem sunt), tum acephalorum errore naturas confundis, tum dispensationem [1])

---

clastam, qui Christum, ut homo est, pingendum negabat velut incircumscriptum.

1) Dispensationem οἰκονομίαν, incarnationem. Qui negant Christum pingendum, in suspicionem veniunt,

cum manichaeis amoliris. Levior tua dementia foret, si judaeos sectareris, quam dum christiani nomine insignitus in Christum inveheris. Ille namque Deum corpus assumpsisse nequaquam admittens, dum nec pictura repraesentandum putat, sibi ipse consentanea facit; tu vero, qui illud concedas, cum pictura exprimere nolis, tibi ipse dissentaneus vel ab ipsomet judaeo deridendus es: quamquam necdum (ideo) contumeliam dico. Et haec quidem ad illos dicta sufficiant, quando non ad discutienda dogmata, sed ad celebritatem agendam convenimus. Nos porro paucis Virgine salutata, et ex iis potissimum, quibus eam divinae Literae cohonestant, sermonem, etsi non digne satis, absolvemus.

7. Ave, Maria, quasi μυρία *infinita*, ob infinitam laudationum copiam. Quamvis innumera quis de te dixerit, nunquam tamen argumenti dignitatem assecutus erit. Ave, Domina, quae materia auctoritate universorum Domini dominatum nacta sis: cui si quis cuncta ancillari dicat, non longe a meta abierit. Ave, myrrha marina, quae in salso

---

quod naturam Christ humanam vel veritatem corporis assumpti negent.

hujus vitae fluxu carnem peccato emortuam gestas, ex qua ille prodiit dulcedo et penitus desiderium, qui dicit in Canticis: *Messui myrrham cum aromatibus meis* (Cant. 5, 1). Ave, rubus, igni complicatum miraculum, ipsa peccato inaccessa (nam et arbustum istud tangi nequit) et cujus divino partu coelum terrigenis accessum redditum sit (Exod. 3, 2). Ave, arca, structum a Deo tectum (Gen. 6, 4), novi mundi conditoris receptaculum; ex qua Christus novus Noe mundum supernum incorruptione replens procedit. Ave, virga, divinae plantationis ramus (Isa. 9, 1), sola inter omnes virgines puerpera, quae, nullo semine suscepto, universorum Deum et hierarcham Filium, uti florem emisisti. Ave, urna, ex auro conflatum vas, ab omni vase secretum, ex quo mundus universus impensum sibi manna accipit (Exod. 16, 33), vitae scilicet panem igne Deitatis coctum. Ave, tabernaculum, quod fixit Deus (Exod. 25, 1. seqq.), conditus polus, ipsis coeli axibus praestantior: ex qua Deus sua ipse persona cum hominibus est conversatus, et ex qua aeterna mundo propitiatio advenit. Ave, thuribulum, vas mente aureum (Exod, 25, 29), divinum intus carbonem ferens, ex qua fragrans odor

Spiritus corruptelae putorem mundo exsufflavit. Ave mensa, mixtum divinitus appositum, omnibus virtutum bonis affluens participatio, ei qui in Canticis dicit: *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam mixto vacuus* (Cant. 7, 2). Ave, templum, purissime fabricata domus Domini, de qua David ait: *Sanctum est templum tuum, mirabile in justitia* (Psal. 64, 5); ex qua sibi Christus corporis templum exstruens, templa Dei vivi mortales effecit. Ave, lustratio, divinis lymphis scaturiens fons, omni plena sanctimonia, ex qua Sanctus sanctorum scelere mundum expurgans exivit. Ave, Domini locus, Dei gressu calcata terra, quae illum complexa es, qui omni, quatenus est Deus, loco eximitur: ex qua ille, qui simplex erat, exsistit compositus; temporalis, qui sempiternus; circumscriptus, qui incircumscriptus. Ave, Dei domus, divinis splendoribus effulgens, cujus castimoniae superliminare evelli nequit: domus gloriae Domini plena, praeque ignitis seraphim spiritu lucentior (Isa. 6, 2—4). Ave, porta ad orientem spectans (Ezech. 44, 2), ex qua vitae oriens mortis occasum hominibus imminuit: rubus Deo permeabilis et claves Deitatis ferens. Ave, coelum, loco mundum ambiente

nobilius habitaculum, virtutum fulgoribus uti stellis coruscans: ex quo justitiae Sol ortus est, salutis, quae nunquam occidat, diem hominibus condens. Ave, thronus in sublime elatus in gloria, animata sedes, Dei in se sessionem designans, ac intelligentibus ipsis virtutibus potiorem requiem Deo praestans. Ave, cherubim, mens igne rutilans, quae divinis sensis tamquam oculis plena es, ac multiplici luce gratiam evibras: cujus munere lumen ad homines transmittitur, quod nescit occasum. Ave, Mater, sola virum non experta, sola inter matres illibata, et quae matribus conveniunt more virginum nacta, portentum portentorum maxime novum. Ave, Virgo prolem enixa, sola inter virgines puerpera, inter matres insignia virginum gestans, prodigium prae ceteris stupendum. Ave, signaculum regium, universorum Regem, qui substantiam ex te sumpsit, corpusculo materno simili exprimens: si quidem comparatum est, ut talis foetus sit, qualis et parens. Ave, liber signatus (Isa. 29, 11), libidinosa omni cogitatione innoxius, ex qua divinitus insculptae legis arbiter, ab ipso solo, qua virginem decet ratione, percurritur[1]). Ave,

---

1) Graece: ἐξ ἧς ὁ θεοχαράκτου νόμου κύριος

tomus novi mysterii (Isa. 8, 1), illibata prorsus incorruptione, in qua omnis expers formae Verbum humanae speciei penicillo depictum hoc est carne indutum, et simile nobis per omnia factum est, excepto peccato. Ave, fons signatus (Cant. 4, 12), incorruptionis origo, quae Christum vitae fluentum, nihil laesis virginitatis signaculis edidisti; cujus consortio immortalitatem adepti ad paradisum nunquam senescentem reducimur. Ave, hortus conclusus, virginitatis compendio nunquam aperta fertilitas, cujus odor est sicut agri pleni, cui benedixit, qui ex te prodiit, Dominus. Ave, rosa immarcescibilis, infinite fragrans, cujus odore Dominus oblectatus, in te requievit, et ex qua florescens ipso mundi odorem repressit. Ave, pomum bene olens, fructus ex sterili prognatus ac divina venustate decorus: quae in Canticis ais: *Stipate me malis, quia vulnerata charitate ego sum* (Cant. 2, 5); cujus puritatem decerpentis, intemeratam

---

πρὸς αὐτοῦ μόνου παρθενικῶς ἀναγινώσκεται, ex qua Dominus incolumi manente virginitate citra operam viri se ipso legibilis, visibilis, humana prodiit forma indutus, qua Verbum antea invisibile, sicut verbum scriptum visibile, palpabile, cognitioni pervium redderetur.

odorem suavitatis mundo afflatum Christus epulabatur. Ave, lilium, cujus proles Jesus haec agri lilia vestit; suave spirans Spiritus rosarium, ex qua Christus stola minime neta, cujus decore Salomonis ornatus omnis obscuratur, absque semente indutus est. Ave, flos, prae cunctis tinctorum coloribus varium omni virtute condimentum, ex qua flos flori similis, matrem exacte referens consurgit, super quem, ut Scriptura dicit (Isa. 9, 2), septem spiritus requiescunt. Ave, nardus fluens, unguentariorum more castitatis aromata irrigans, quorum evaporatio suavissimus illi odor est, qui in Canticis dicit: *Nardus mea dedit odorem suum* (Cant. 1, 11). Ave, stacte, ex virginalis balsami confectione sanctitatis sive lactis Christo stacten stillans, quae rursum in Canticis canis: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur* (ib. v. 12). Ave, cinnamomum, spiritalis paradisi aroma integritatis, cujus odor ei dulcis est, qui perinde in Canticis dicit: *Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum arborum fructibus: calamus et cinnamomum cum universis lignis Libani* (Cant. 4, 13, 14). Salve, filia, Dei sacerdos[1]) ju-

1) Sacerdos eo sensu, quo omnes christiani dicun-

vencula, cujus puritas desiderabilis et decor admirabilis illi, qui in Canticis dicit: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Aminadab. Venter tuus acervus tritici, vallatus liliis* (Cant. 7, 1). Ave, soror perpulchri fratris cognominis eique summe cupita, cujus vox ejusmodi in Canticis sonat: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum* (Cant. 4, 9). Ave, sponsa, cujus pronubus Spiritus sanctus ac Christus sponsus, qui dicit in Canticis: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te; veni de Libano, sponsa* (ib. v. 7). Ave, unguentum, infiniti pretii compositio, omnigenae castimoniae unguenta spirans, ex qua Dominus idem tecum nomen gerens prodiit (ait enim, *unguentum effusum nomen tuum* Cant. 1, 2), quo regale unctum sacerdotium fuit. Ave, incensum, precationis locus pro omni mundo directus ante Dominum; quae fragrantia Spiritus repleta es, de qua admirantis voce clamatum: *Quae est ista, quae ascendit de deserto, tamquam*

---

tur sacerdotes (Apoc. 1, 6; 5, 10.), sacerdotium sanctum (1. Petr. 2, 5.), quatenus victimas spirituales offerre possunt et debent: sensu dein specialiori, quatenus peperit et protulit victimam illam, qua redemptum est genus universum.

virgula fumi suffita (Cant. 3, 6)? Ave, aurum purum, quae igne Spiritus in vitae hujus conflatorio probata es, nec malitiae usquam ruga deformis: ex quo auro tum candelabrum, tum mensa, tum reliqua omnia legis ritu aurea, allegoriae non ambigua significatione [1]) de te aureis multisque nominibus celebri accipiuntur. Ave, lignum non putrescens, quae corruptionis peccati vermem non admisisti: ex qua spirituale altare, non ex lignis imputribilibus, sed ex intemerato utero exstructum fuit Deo. Ave, purpura regia, quae ex virginali tuo sanguine purpuream vestem texuisti dicenti in Canticis: *Plexus capitis tui ut purpura: rex vinctus in transcursibus. Quam pulchra et quam suavis* (Cant. 7, 5. 6)! Ave, byssus retorta, alta sensorum animo circumvolvens, nec contrariis illecebris cedens: *Quomodo enim*, inquit, *hoc mihi accidet, quoniam virum non cognosco* (Luc. 1, 34)? Ex qua summi supernarum virtutum antistitis purpura auroque intermixtum humerale contextum est. Ave, hyacinthus, flam-

1) Aurum scil. illud, ex quo confecta sunt candelabrum, mensa aliaque sacra vasa, typice significabat b. Virginem, ex qua natus est Christus, quem illud candelabrum, mensa etc. praefigurabant.

mei coloris virginitatis vellus, ex quo mystice corporis amictus Deo conditus fuit. Ave, nubes levis, terrenum et grave pondus, leve quodammodo aeris [1]) instar tabernaculum habens, ac velut in altari panem vitae operiens, cui Isaias Dominum insedisse vaticinatus est (Isa. 19, 1). Ave, intemerata, intactum virginitatis monile, quae immaculatum Verbum perperisti, ex qua virginitas mundum compendio brevians [2]) eluxit. Ave, pura, quae sola mundum cor habere gloriari possis: mons vere Deo gratus, ex qua novus Israel vetere praestantius diuturniusque sanctificatur. Ave, puerperii incommoda nesciens [3]), quae tamen matris in

---

1) Ὡς ἀερῶδες. Alludit ad velum, quo graeci sanctum panem in altari positum operiunt, quodque vocant ἀέρα, q. d. *aerem:* quod male Combefisius pro corporali sumpsit. Lequien.

2) *Mundum compendio brevians* τὸν κόσμον συντέμνουσα. Forte ita vocatur virginitas, quia mundum seu mundana in virginibus *circumcidit* (cf. 1. Cor. 7, 29. ss.) et alios exemplo docet mundanas abjicere pompas: vel forte mundi humanique generis cursum in duas velut epochas secans: nam usque ad b. Virginem virginitatis custodia erat incognita: ab ipsa vero hoc lilium coepit ubique excoli atque florere.

3) Graece χαῖρε ἀλόχευτε, quae vox raro occurrit penes scriptores graecos. Significat 1. *non esse ge-*

morem in prolis alimentum lactis fontes fert, cujus lac virginale is, qui cuncta nutrit, sugit. Ave, impolluta, sola Deo, qui in te habitaret, pervia, Deique dignationem (ἀξίωμα) ex tuo partu habens: unde cunctis etiam coeli potestatibus venerabilis es. Ave, vellus Gedeonis, victoriae symbolum, ex qua

---

nitum, *non natum* ex muliere, ut dicit Coluthus de Minerva; 2. *mulierem*, *quae non peperit*: sed neutra significatio admitti hic potest. Derivatur a λοχεύω, med. λοχεύομαι, quod significat 1. de matre *pario*, prolem edo: 2. de obstetrice, *parturienti assisto*, obstetricor. Participium aorist. ergo λοχευθεῖσα est ea, *quae peperit*, vel significatione passiva ea, *quae edita est* vel ea, *quae adjuta est ab obstetrice*: adjectivum ergo verbale cum negatione ἀλόχευτος significat 1. *non genitam* vel editam *a matre*, 2. *mulierem non enixam*; 3. mulierem, *cui parienti opitulata non est obstetrix*, quae ergo peperit sine doloribus et ἄνευ λοχείων sine puerperii incommodis et miseriis, quae una significatio hic apta est: extollere enim vult s. doctor deiparae *partum plane virginalem*. Sunt qui hanc vocem reddunt *viri nescia*, mulier, quae nulla viri opera edidit prolem: et isti eam derivant a voce λέχος *lectus*, *torus* (conjugalis) sive a λόχος *puerperium*, sed falso. Derivatur enim immediate a λοχεύω *pario*, sum puerpera; hoc a λόχος *puerperium*, hoc demum a λέχος. Lequien varias ut videtur significationes, quas repererat, coacervans hanc unam vocem paraphrastice ita (minus apte) reddit: *Rei connubialis nescia, nulla viri opera nuptiale puerperium edens.*

figurate Rex immortalis defluxit, qui conceptis verbis ait: *Confidite, ego vici mundum* (Joan. 16, 33). Ave, Dei locus, qui utero ipsum es complexa, qui in omnibus quin contineatur, exsistit: in cujus pugillo omnia sunt, cum ipse tuis in manibus est: quod nec si verbis exprimatur, intelligi, nec, si intelligatur, conjici satis potest. Salve, Dei Mater, sola Filii sui ancilla, atque ambo natura: post quam nulla virgo mater exstat, beata virginitate ad pristinam in paradiso incorruptionem reversa [1]). Ave, Dei susce-

1) Videtur hic respicere illam haud paucorum patrum opinionem (cf. *Compendii theologiae dogmaticae* a nobis editi t. II. n. 244. annot.), secundum quam in paradiso, si Adamus non peccasset, citra nuptiarum opus homines editi in lucem atque multiplicati fuissent. Hinc dicit, Mariae virginitatem, licet ea esset fecunda, rediisse in pristinam incorruptionem. *Luminosum divinae infinitatis elementum* φωτοειδὲς στοιχεῖον τῆς θείας ἀπειρίας, οὗ ὁ ἄπειρος. Locus non nihil obscurus. Dicitur Maria στοιχεῖον basis seu fundamentum divinae infinitatis, quatenus Deus infinitus principium habere dignatus est ex ea secundum naturam assumptam. Maria ergo Deo tribuit elementum aliquod, et ita vocari quadantenus potest divinae infinitatis elementum et principium. Hoc modo explicatur στοιχεῖον tamquam elementum *ontologicum*. Nisi mavis explicare ut elementum *logicum*. A Maria progredimur ad cognoscendum Deum, sicut ex. gr. a punctis et lineis tamquam geometriae elementis pro-

ptrix, luminosum divinae infinitatis elementum, cujus pedali utero comprehensus infinitus est, quique omnium in se fines continet. Ave, proprie et vere Deipara, tremenda hominibus cum Deo copula, per quam conjuncta terrenis coelestia, et humana Deo, vicissimque homini rependens divina. Ave, nuptialis thalamus, praeclaris virginitatis dotibus exstructus illi, qui in Canticis dicit: *Introivi in hortum meum, soror mea sponsa* (Cant. 5, 1). De cujus cum carne commercio illa subnectit: *Egredimini, et videte regem Salomonem in corona, quo coronavit eum mater sua, in die desponsationis ejus et in die laetitiae cordis ejus* (Cant. 3, 11). Ave, agna, si conjugalis con-

---

gredimur ad perfectiorem scientiae acquisitionem: seu sicut a creaturis ascendere possumus ad cognitionem creatoris, ita ex hac nobilissima creatura et ex mirabilibus, quae in ipsa operatus est Deus, manuducimur ad sublimiorem Dei notitiam. Illustrari haec possunt iis, quae duce Chrysostomo advertit Theophylactus ad haec Pauli Hebr. 5, 12. verba: τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων *(elementa exordii sermonum Dei)*: „Elementa, inquit, ea, quae sunt de humanitate Christi, vocat. Ut enim in externis literis prima elementa discenda sunt, eodem modo hic primum doceri oportet de humanitate Christi . . . deinde accedendum est ad ea, quae sunt Deitatis, quibus perfectiore intellectu opus est.“

gressus spectetur, infecunda; sin divina conceptio, puerpera: ex qua ille Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi (Joan. 1, 29), advenit. Ave, lucis nebula, in hac vitae solitudine novum Israel intercessione sua obumbrans (Exod. 13, 21), ex qua gratiae audita decreta, et de qua justitiae sol ortus est, cuncta incorruptionis radiis collustrans. Salve, candelabrum, aureum firmumque virginitatis vas, cujus ellychnium gratia Spiritus (Exod. 25, 31), oleumque sanctum illud corpus, quod ex illibata carne tua assumptum fuit; ex quibus[1]) Christus, lumen nesciens occasum: quae nimirum sedentibus in tenebris et umbra mortis sempiternam vitam accendisti. *Ave, Maria, gratia plena* (Luc. 1, 34), res et nomen gaudio omni gratiosius: ex qua gaudium immortale Christus, inflictae Adamo tristitiae medicina, in mundum venit. Ave, paradise, praedium Edem beatius, ubi virtutis planta omnis germinavit, et in quo arbor vitae enituit; cujus commercio ad vitam pristinam redimus, terga

1) *Ex quibus Christus.* Opera scil. et virtute Spiritus sancti, qua conceptum unitumque fuit Verbo hypostatice corpus (anima informatum) e b. Virgine desumptum, accensum velut fuit *lumen nesciens occasum*, quod fuit Christus;

dante flamineo gladio, uti scriptum est. Ave, civitas regis magni, ut Davidis verba usurpem (Psal. 47, 3) resonantia, in qua coelorum aperta regia, inque cives inscripti terrigenae gaudio gestiunt; cujus eximiae faustaeque omnibus tum linguis, tum mentibus narrationes sunt in Christo Jesu, qui per te mihi sit propitius, quod pro debito miser ego inopsque sermonis innumeras laudes tuas non celebraverim. Ipsum enim decet omnis gloria, honor et adoratio, cum Patre et Spiritu sancto, nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

HOMILIA V.

Humilis et exigui monachi et presbyteri Joannis Damasceni encomium in dormitionem celebratissimae gloriosissimaeque ac benedictae Dominae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae.

1. *Memoria justorum cum laudibus agitur*, inquit sapientissimus Salomon (Prov. 17, 7): ut enim ait Deiparens: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (Psal. 115, 15). Si igitur justorum omnium memoria cum laude recolitur, ecquisnam est qui justitiae fonti et sanctitatis thesauro laudem non exhibeat? non ut gloria eam au-

geat, sed ut sempiternam ipse sibi gloriam conciliet. Neque enim a nobis gloria augeri indiget gloriae Domini tabernaculum; Dei, inquam, illa civitas, de qua gloriosa dicta sunt, velut divinus David eam affatur: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (Psal. 86, 3). Ecquam enim aliam invisibilis et incircumscripti omniaque pugillo continentis Dei civitatem intelligemus, nisi eam, quae vere et supra quam natura atque essentia ferat, Dei Verbum ac Deum substantia omni superiorem nulla circumscriptione complexa est; de qua proinde ab ipsomet Domino gloriosa dicta sunt? quid enim ad gloriam illustrius, quam Dei consilium, antiquum illud et verum excepisse (Isa. 25, 1)?

2. Hanc non hominum lingua, non angelorum mundo sublimiorum mens sat dignis laudibus efferre possit, per quam datum nobis est Domini gloriam perspicue contueri. Quid ergo? an quia eam pro dignitate laudare non possumus, metu compressi conticescemus? Minime prorsus. An vero transultorio, ut dicitur, gressu pergemus, nostrorumque limitum ignari, excusso timoris freno, nullo pudore ea tractabimus, quae attingi nefas est? Nequaquam. Quin potius temperata metu cupiditate contextaque una

ex utroque corolla cum sacra reverentia, tremebunda manu ardentique animo, viles ingenii nostri primitias Reginae matri de universa natura bene meritae grata mente debitum veluti quoddam persolvemus. Enim vero memoriae proditum est[1]), rusticos quosdam terrae glebas vertentes, cum transeuntem aliquando regem purpura ornatum ac diademate fulgentem infinitaque satellitum manu undique cinctum, conspexissent, nec quidquam suppeteret quod principi dono darent, unum ex ipsis aquam nihil cunctatum hausisse (in propinquo enim uberrime fluebat) laticesque imperatori dono obtulisse. Regi poscenti quid hoc sibi vellet, fidenter ad hunc modum respondisse: Hoc quod mihi praesto erat tuli; nihil melius me facturum ratus, ne animi promptitudo egestate mea occultaretur. Nam tu quidem, cum rebus nostris non opus habeas, nihil a nobis exposcis, nisi benevolum ac promptum animum. Hoc nobis tum debiti persolutio est, tum laudis argumentum. Siquidem saepe fit, ut eos, qui se gratos praebent, gloria comitetur. Quocirca regem admiratione com-

1) Hoc de Artaxerxe, persarum rege, referunt Plutarchus et Aelianus.

motum, hujus quidem sapientiam laudasse, quin et promptum animi studium approbasse, eique complura beneficia liberalissime rependisse. Si igitur superbus ille tyrannus benevolentiam munificentia potiorem habuit, annon haec vere bona Domina ejusque Mater, qui solus est bonus, cujus infinita indulgentia est, quique minuta duo amplissimis etiam muneribus praetulit, nostrum multo magis propositum comprobabit, nullam facultatis rationem habens? Ita certe comprobabit debitumque officium exhibentes excipiet, nobisque bona rependet omni comparatione majora. Quoniam igitur orationem habere omnino necesse est, ut hoc quoque munere debito defungamur, ad eam modo sermonem convertamus.

3. Quo tandem te, o Domina, nomine compellabimus? quibus te verbis alloquemur? quibus laudibus sacrum tuum ac praeclarum caput ornabimus? te, inquam, bonorum largitricem, divitiarum donatricem, humani generis ornamentum, omnisque creaturae decus, per quam illa vere beata effecta est. Quem enim prius minime capiebat, hunc per te postmodum cepit: in quem intueri non poterat, revelata facie per te contemplatur. Aperi, o Dei Verbum, tardum istud os no-

strum. Da in apertione labiorum nostrorum concinnam suavissimamque orationem. Gratiam nobis Spiritus infla, per quam facundi fiunt piscatores, et literarum expertes sapientiam hominis conditione praestantiorem loquuntur: ut nos etiam, qui hebetioris linguae sumus, charissimae tuae Matris praecellentias exigue saltem et obscûre praedicare possimus. Haec enim, cum ab antiquiori aevo, praefinito consilio, ac benigna Dei Patrisque voluntate, qui te extra tempus, sine fluxu et perpessione genuit, electa esset, et propitiationem, vitam de vita, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, extremis temporibus ex se incarnatum peperit: cujus partus novus et inusitatus fuit, generatio natura et cogitatione praestantior mundoque salutaris, obitus denique praeclarus et sacer omnique commendatione dignus. Hanc quidem Pater praedestinavit, prophetae vero per Spiritum praenunciaverunt: Spiritus autem vis sanctificans superveniens expurgavit sanctamque reddidit et veluti praerigavit. Tunc itaque tu, qui Patris terminus ac Verbum[1]) es, nihil circumscriptus in ea de-

1) *Patris terminus ac Verbum* ὁ τοῦ Πατρὸς ὅρος καὶ Λόγος, quae sunt Gregorii nazianzeni or. 30. n. 20. Cf. *opusc.* XXVIII, 121. annot.

moratus es, ut extremam naturae nostrae vilitatem ad infinitam incomprehensae Deitatis tuae celsitudinem revocares: cujus quidem primitias ex purissimis et illibatis immaculatisque prorsus sanguinibus sanctae Virginis suscipiens, carnem anima rationali et intelligente animatam tibi ipse condidisti, ei, ut in temetipso subsisteret, tribuens [1]). Ad hunc modum factus homo es, ut tamen perfectus Deus ejusdemque ac tuus Pater substantiae esse minime desieris; sed pro summa bonitate tua imbecillitatem nostram assumpseris, ex qua Christus unus, unus Filius, unus ipse Deus et homo prodieris, simulque perfectus Deus et perfectus homo; totus Deus et totus homo; una nimirum persona ex duabus perfectis naturis, Deitate scilicet et humanitate, inque duabus perfectis naturis, in Deitate, inquam, et humanitate: non nudus Deus nec purus homo; verum unus Dei Filius ac Deus carne indutus; Deus idem ac simul homo, non confusionem subiens, nec divisionem passus; duarum disparis substantiae in una persona sine confusione ulla ac divisione conjunctarum natu-

1) Sequitur hic praeclara et accurata fidei catholicae *de incarnationis mysterio* expositio.

rales in teipso proprietates ferens: creatum nempe et increatum, mortale et immortale, circumscriptum et circumscriptionis expers: divinam item voluntatem et humanam voluntatem: divinam actionem atque humanam etiam actionem; duas quoque liberi arbitrii facultates, divinam et humanam; divina rursum miracula et humanas affectiones, naturales tamen et inculpatas. Totum quippe primum Adam, qualis erat antequam a mandato deficeret, a peccato liberum, per viscera misericordiae, Domine, suscepisti: corpus videlicet, animam, mentem et naturales harum proprietates (nam quod revera assumptum non est, id minime curatum fuit). Atque ita Dei et hominum mediator factus inimicitias solvisti, eosque, qui a Patre defecerant, ad ipsum revocans: quod erraverat, reduxisti; quod tenebris obsitum erat, illuminasti: quod contritum, instaurasti; quod corruptelae obnoxium, incorruptioni restituisti: creaturam ab erratico multorum numinum cultu liberasti: homines Dei filios effecisti: contemptos et infames divinae gloriae tuae consortes reddidisti: eum, qui ad inferas terrae partes damnatus erat, super omnem principatum et potestatem provexisti: et qui ita multatus erat, ut in terram

reverteretur et infernum incoleret, in teipso regio in throno collocasti. Quaenam igitur immensorum bonorum istorum, quae captum omnem et comprehensionem superant, officina fuit? annon perpetua virgo, quae te in lucem edidit?

4. Videtis, Deo dilecti patres ac fratres, hujusce diei gratiam. Videtis quam sublimis ac veneranda illa sit, cujus nunc laudes celebrantur. Annon tremenda ejus mysteria? Annon admirationis plena? Beati, qui vident, quantum maxime decet. Beati, qui intelligendi sensum sunt consecuti. Quales lucis splendores praesentem noctem illustrant! Qualia angelorum satellitia matris illius, ex qua vita orta est, obitum cohonestant! Qualia apostolorum Deo afflante proloquia corporis hujus, quod Deum suscepit, funus exornant! Quomodo Dei Verbum, quod pro sua miseratione illius effici filius dignatum est, dominicis manibus suis sanctissimae huic divinissimaeque, utpote matri, ministrans, sacrosanctam suscepit animam. O probum legislatorem! Qui legi subjectus non est, legem implet, quam ipse tulit[1]). Siqui-

1) Hoc plurimi alii pii scriptores Deiparae gloriam extollentes inculcant: nec immerito, nam filialis pietas *omnem* decet filium, nec ullum involvit dede-

dem ipse legem tulit, ut filii debitum officium parentibus tribuant. *Honora*, inquit, *patrem tuum et matrem tuam* (Exod. 20, 12). Hoc autem verum esse, cuivis perspi-

---

cus: proinde neque hoc decore, neque hac specie carere ille potuit, qui est *speciosus forma prae filiis hominum* (Ps. 44, 3). Filialis autem pietas se prodit honore. Quare honore tenerrimo prosequitur ille matrem suam, qui filiorum omnium voluit esse atque fuit *paradigma* atque *exemplar*. Et profecto qui matri exhibuit obedientiam, qua obsequium praestantius concipi nequit, alia quoque eidem exhibebit: et qui remuneraturus est calicem aquae frigidae in persona membrorum suorum sibi exhibitae, copiosissime remunerabit sanctissimam Matrem, quae tot obsequia maternae sollicitudinis ipsi exhibuit cursu annorum. Cf. Ephraemus *precat. ad Deiparam* op. graec. 3, 525; liturgia gallicana, in *collect. ad pacem* in Epiphania (Mig. 72, 242.); Petrus Damiani serm. 44. *de nativ.* 1.; Germanus CP. *or. in Deiparae dormitionem*; Rupertus tuitiensis *in Cant.* l. 6.; anonymus in *homiliario Pauli diaconi* hom. 45. (Mig. 95, 1491.) et hom. 46. (ib. 1502.); Radulphus Ardens hom. *in Deiparae assumpt.*; s. Thomas 3. p. q. 28. a. 2; Methodius *de Simeone et Anna* n. 10. (ap. Gallandi 3, 815. s.); Modestus hierosolymitanus *encom. in Deip.*; Ernaldus *de septem verbis Domini* tract. 3. (Mig. 189, 1695.); auctor serm. *de assumpt. b. Mariae V.* Hieronymo olim tributi; Alexander III. in *instruct. fidei cath.* ad Soldanum Iconii etc.

cuum est, qui vel tantillum in divinis Scripturae oraculis eruditus sit. Nam si, ut Literae divinae ferunt, *Justorum animae in manu Dei sunt* (Sap. 3, 1); annon ipsa magis in Filii Deique sui manus animam commendavit? Verus hic sermo est ac sublimior, quam ut quis ei possit adversari. Verum si placet, quaenam ipsa, et unde, et quo pacto mundo huic concessa sit, munus omnium Dei praestantissimum simul et carissimum: quae item ipsi in hoc seculo vitae ratio fuerit, et quorum mysteriorum particeps fieri merita sit, pro virili nostra consideremus. Si enim gentiles eos, qui e vita discessissent, funebribus orationibus exornantes, id omne quod ad alliciendos auditorum animos accommodatum esse cernerent, omni studio conferebant, tum ut ejus quem laudabant suis numeris absolutum encomium esset, tum ut reliquos ad virtutem excitarent et hortarentur (sic tamen ut plerumque fabulis sexcentisque figmentis sermonem texerent, cum ii quos praedicabant nihil ex propriis, quo laudem mererentur, haberent), cur nos, si ea, quae verissima et omni digna veneratione sunt, quaeque benedictionem omnem et salutem omnibus attulerunt, alto, ut dicitur, silentio obtexerimus, non ingentem

nostri risum excitemus, inque eandem, in quam is, qui talentum abscondit (Matth. 25, 25), poenam incidamus? Quocirca initium dicendi faciamus, ita tamen ut brevitati studeamus, ne auribus oratio evadat inimica, non secus ac corporibus modum excedens cibus.

5. Joachim et Anna parentes ejus fuerunt. Ac Joachim quidem velut quispiam ovium pastor cogitationes non minus quam pecora pascebat, ad arbitrium illas ducens. Cum enim sub Domino Deo ovis instar pasceretur, nullis eorum, quae optima sunt, carebat. Optima autem nemo me putet dicere, quae plerisque accepta sunt et quibus avidiorum hominum semper animus inhiat, quae neque durabilia suapte natura sunt, nec meliorem eum, a quo habentur, praestare norunt) hujus nimirum seculi voluptates, quae vim firmam et stabilem habere nequeunt, sed mox effluunt, et eadem fere hora dilabuntur), tametsi horum copia abundet. Absit hoc: non nostrum est his percelli, neque pars ista est timentium Dominum. Verum ea demum bona sunt, quae vere ab hominibus sana mente praeditis expetuntur et adamantur, quae in aeternum manent, quibus tum Deus oblectetur, tum maturus ipsorum possesso-

ribus fructus producatur: virtutes, inquam, quae fructum in tempore suo, id est in futuro aevo vitam aeternam iis daturae sunt, qui digne eas excoluerint et pro suis viribns labores in eas contulerint. Labor quippe praecedit atque aeterna felicitas insequitur. Joachim suas intus cogitationes pascebat *in loco pascuae* (Psal. 22, 2), hoc est, in sacrorum eloquiorum contemplatione commorans, *et super aquam refectionis* (ib. v. 3.) divinae gratiae semet oblectans: sic nimirum ut a malis rebus eas avocaret, et per justitiae semitas deduceret. Anna vero, cujus nomen gratiam sonat, non minus morum, quam matrimonii jugo copulata cum illo erat: quae tamen, cum omni virtutum genere floreret, mystica quadam ratione sterilitatis morbo tenebatur. Nimirum sterilis vere gratia erat, quae in hominum animis fructum edere non posset. Siquidem omnes declinaverant, simul inutiles facti erant: non erat intelligens, aut requirens Deum (Psal. 13, 2. 3). Tum bonus Deus manus suae figmentum respiciens et miseratus, cum illud tandem facere salvum vellet, gratiae, hoc est Annae, sterilitatem solvit; quae filiam parit, qualis nec ante fuit, nec posthac futura est. Atqui sterilitatis depulsio hoc aper-

tissime indicabat, fore ut bonorum sterilitas, qua mundus laborabat, submoveretur, et truncus aridus copioso arcanae beatitudinis fructu donaretur.

6. Eam ob rem Dei Genitrix ex promissione prodit. Angelus enim nasciturae conceptionem parentibus ejus nunciat. Quippe conveniebat, ut hac etiam re nulli cederet, nec posteriores partes ferret, quae solum vereque perfectum Deum secundum carnem erat paritura. Tum in sacrosancto Dei templo offertur et consecratur: in quo ita degit, ut praestantioris ac purioris prae ceteris vitae specimen ederet, a virorum et mulierum male feriatarum commercio remota. Sed cum ad aetatis florem pervenisset, prohibente lege ne intra templi septa deinceps ageret, sponso seu virginitatis custodi a sacerdotum choro traditur, qui legem inviolatam ad senectutem usque perinde ac quivis alii servaverat. Apud hunc itaque sacra haec et prorsus intaminata puella commorabatur, domi se continens nihilque eorum, quae ante fores suas gererentur, cognitum habens.

7. Cum autem, ut divinus Apostolus ait (Galat. 4, 4), venit plenitudo temporis, ad hanc vere Dei filiam angelus Gabriel a Deo missus est, quam hisce verbis est allocutus:

Ave, gratia plena, Dominus tecum (Luc. 1, 28). Praeclara sane angeli ad eam, quae angelis praestabat, allocutio. Gaudium enim orbis totius affert. Ista vero ob sermonem ejus turbata est, ut quae cum viris colloqui minime consueverat, cum virginitatem sedulo servare instituisset. *Cogitabat* autem, *qualis esset ista salutatio.* Tum angelus ad eam: *Ne timeas*, ait, *Maria: invenisti enim gratiam apud Deum.* Plane gratiam invenit, quae gratia digna erat. Gratiam invenit, quae gratiae labores excoluerat copiosamque segetem collegerat. Gratiam invenit, quae gratiae semina progenuit et plenissimam gratiae messem retulit. Gratiae abyssum invenit, quae duplicis virginitatis navem servaverat incolumem. Maria enim non minus animum quam corpus virginem custodierat; unde etiam constabat corpori virginitas. *Et paries*, inquit, *filium et vocabis nomen ejus Jesum* (Jesus autem *Salvatorem* sonat). *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (ib. v. 31; Matth. 1, 21). Quid ad haec verae sapientiae thesaurus? Evam quidem primam parentem non imitatur; sed incautam potius ejus simplicitatem emendat, seque naturae patrocinio munit, sic angeli verbis reponens:

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Impossibilia narras, inquit. Nam sermo tuus naturae leges frangit, quas summus opifex sanxit. Secunda Eva dici non patior, nec Conditoris mei voluntatem pessumdare. Quod si Deo adversa non loqueris, conceptionis modum expone, dubitationem meam solve. Ad quam veritatis angelus: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quod nunc agitur, naturae legibus non subest. Naturae siquidem artifex et Dominus arbitratu suo immutat naturae leges. Haec itaque nomen illud, quod omni desiderio et honore semper colebat, sacra quadam reverentia audiens, obedientiae vocem timore atque gaudio plenam emisit: *Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.*

8. *O altitudo divitiarum, sapientiae et scientiae Dei* (nam ego quoque Apostoli vocem nunc temporis usurpabo)! *o quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et impervestigabiles viae ejus* (Rom. 10, 33, 34)! o immensam bonitatem! o charitatem, quae nulla ratione queat indagari! Is qui vocat ea, quae non sunt, tamquam ea quae sunt

(Rom. 4, 17): qui coelum et terram implet (Jerem. 23, 24); cujus coelum sedes est et terra scabellum pedum ejus (Isa. 66, 1), ex ancillae suae utero amplissimum sibi domicilium fecit, mysteriumque novorum omnium novissimum et insolitum in ea gessit. Nam qui Deus erat, homo fit ac eximio modo partus tempore nascitur, vulvam ita aperiens, ut virginis claustra minime labefactet: ulnisque terrenis gloriae splendor, paternae substantiae character, qui omnia virtutis suae verbo portat, infantis more gestatur. O divina plane miracula! o mysteria natura et cogitatione superiora! o Virginis praerogativas humana conditione majores! Quodnam ingens hoc est, o sacra mater et virgo, circa te mysterium: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui* (Luc. 1, 28, 42). Beata es in generationibus generationum, solaque digna, quae beata praediceris. Ecce enim te beatam dicunt omnes generationes (Luc. 1, 48). Viderunt te filiae Jerusalem (Cant. 6, 8), ecclesiae, inquam, beatamque praedicaverunt reginae, hoc est justorum animae, teque in aeternum laudabunt. Tu enim es solium illud regium, cui angeli astiterunt, suum herum et creatorem cernentes insidentem. Tu spiritualis es Edem,

antiqua illa sanctior ac divinior. In illa siquidem terrenus Adam commorabatur, in te autem Dominus, qui de coelo descendit. Te olim arca figuravit, in qua secundi mundi semen servatum fuit. Tu enim Christum mundi salutem peperisti, qui peccatum quidem submersit ejusque fluctus sedavit. Te rubus delineavit, tabulae a Deo exaratae expresserunt, legis arca praenunciavit, urna aurea, candelabrum, mensa, virga Aaronis, quae floruit, aperte praesignarunt. Nam ex te flamma divinitatis, Patris terminus et Verbum, suavissimum illud et coeleste manna, nomen illud nominis expers, quod est super omne nomen (Philipp. 2, 9), lumen illud sempiternum et inaccessum, vitae panis coelestis (Joan. 6, 48), nulla cultura editus fructus, ex te corporaliter pullulavit. Quid? annon te fornax illa praemonstravit, cujus ignis roridus simul ac flammeus erat, quae divini ignis in te habitantis figuram praeferebat? Quin Abraham tabernaculum te manifestissime significabat. Deo quippe Verbo, in utero tuo velut in tabernaculo degenti, humana natura subcinericium panem, sui primitias, ex purissimo sanguine tuo obtulit, divino igne coctas panemque factas, in divina ejus persona subsistentes, et ad veram

corporis anima rationali et intelligente instructi exsistentiam venientes. Parum abfuit, quin me Jacob scala praeteriret (Gen. 28, 12. seqq.). Quid enim? annon cuivis perspicuum est te ea praesignatam figuratamque esse? ut enim ille per extremas scalae partes coelum cum terra copulatum et angelos per eam descendentes et ascendentes, quin etiam illum, qui vere fortis insuperabilisque est, typice secum luctantem vidit: sic tu quoque mediatricis munus obiens effectaque Dei ad nos descendentis scala, ut debilem nostram naturam assumeret sibique copularet et uniret, adeoque hominem mentem videntem Deum redderet, ea quae dirempta erant, collegisti. Quocirca angeli ad eam descenderunt, uti Domino ac Deo inservirent: homines autem angelicum vitae genus amplectentes in coelum evehuntur.

9. Quo loco praeconia prophetarum ponam? annon ad te referenda, siquidem ea vera esse ostendere velimus? Quodnam est dominicum illud vellus (Psal. 71, 6), in quod regis omnium Dei Filius, qui Patri coaeternus est ejusque regni consors, pluviae instar descendit? annon tu perspicue? Quaenam item ea Virgo, quam Isaias (Isa. 7, 14) provido Spiritu in utero habituram Deumque,

qui nobiscum foret, seu qui, cum factus esset homo, simul maneret Deus, parituram praedixit? Quid mons ille Danielis (Dan. 2, 34), ex quo lapis angularis Christus sic abscissus fuit, ut viri scalprum non subierit? Nonne ipsa es, quae nullo semine suscepto peperisti, ac rursus virgo permansisti? Veniat divinissimus Ezechiel (Ezech. 44, 1), clausamque portam ostendat, Domino perviam, nec tamen apertam, quemadmodum prophetico instinctu praenunciavit. Dicta sua eventu comprobata monstret. Te dubio procul ostendet, per quam transiens, qui super omnia Deus est, assumpta carne virginitatis portam nequaquam aperuit. Signaculum quippe in aeternum perseverat. Quocirca te prophetae praedicant: tibi ministrant angeli, inserviunt apostoli, virgo ille ac theologus, perpetuae virgini Deique genitrici. Hodie enim te ad Filium tuum emigrantem satellitio suo fovebant angeli, justorum animae patriarcharumque et prophetarum: stipabant apostoli atque afflatorum a Deo patrum infinita multitudo, ab ipsis orbis finibus divino Filii tui jussu velut in nube in divinam hanc et sacram Jerusalem congregati [1]), tibique

1) Secundum veterem narrationem in Oriente olim

dominici corporis, quod vitae initium attulit fonti, sacros hymnos divinissime canebant.

10. O quomodo vitae fons ad vitam media morte trahitur! O quomodo, quae pariendo naturae leges excesserat, nunc ejus legibus cedit, et corpus immaculatum morti subjicitur! Oportet enim hoc mortali posito induere incorruptionem (1. Corrinth. 15, 55), quandoquidem naturae Dominus mortis periculum facere non recusavit. Carne etenim moritur et morte mortem tollit: corruptione incorruptionem donat: necem denique suam resurrectionis fontem facit. O quomodo sacrosanctam illam animam e tabernaculo, quod Deum susceperat, emi-

---

satis vulgatam et quam scriptores orientales in suis de b. Mariae V. dormitione homiliis saepe respiciunt, omnes apostoli divina disponente providentia Deiparae morti interfuere. Ad hanc traditionem infra hom. 6. n. 4. Damascenus diserte provocat. Haec et alia narrantur jam in l. inscripto *transitus Mariae*, qui olim Melitoni sardensi episcopo tribuebatur. Licet vero hic libellus sit spurius, antiquior est forte seculo 4., certo velustior quinto. Exstat quoque quo ad substantiam, sed cum pluribus paucioribusve additionibus graece, syriace, arabice. Cf. de his variis recensionibus erudite disserentem Bickell in *fascic. trimestr. tübing.* 1866. p. 468. ss.

grantem rerum omnium Conditor suis manibus excipit: legitime eam honorans, quam, etsi natura erat ancilla, pro impervestigabili suae benignitatis abysso aequa dispensatione matrem suam effecit, cum revera incarnatus esset, ac non nudam humanitatis speciem objecisset! Videbant enim, ut par est credere, tuum e vita discessum angelorum classes te exspectantes. O praeclarissimum excessum, qui tibi hoc praestat, ut ad Deum migres! Nam etsi omnibus Deo afflatis hominibus hoc Dei munere concessum sit (nec enim quin concessum sit, dubitamus); at infinitum Dei servorum ac matris discrimen est. Ecquo igitur nomine, quod in te peractum est mysterium, appellabimus? an mortem? At quamvis sacratissima et felix anima tua, ut fert naturae sors, a beatissimo et immaculato corpore tuo disjungatur, ac corpus legitimae sepulturae mandetur, non tamen in morte perseverat, nec corruptione dissolvitur. Nam cujus in partu virginitas incolumis mansit, eadem e vita migrante corpus ita conservatum est, ut non dissolutum, sed in melius diviniusque tabernaculum mutatum sit, quod non jam morte interrumpatur, sed in infinita seculorum secula perduret. Quemadmodum enim

sol iste splendidissima perennique luce praeditus, tametsi, cum a lunari tantisper corpore obtegitur, modo quodam deficere et caligine obrui, et fulgorem cum tenebris mutare videatur, non tamen luce sua destituitur, verum sui luminis fontem perpetuo scaturientem habet, quinimo ipse luminis fons est indeficiens, velut ab ejus conditore Deo constitutum fuit: sic tu quoque fons veri luminis et inexhaustus ipsiusmet vitae thesaurus, uberrimaque benedictionis scaturigo, quae cuncta nobis bona conciliasti et attulisti, etsi ad tempus aliquod corporeo modo morte obtegeris; attamen immensi luminis immortalisque vitae ac verae felicitatis puros et inexhaustos latices, gratiae flumina, sanationum fontes perennemque benedictionem fundis. Tu enim es sicut malus in lignis silvae; et fructus tuus dulcis gutturi fidelium (Cant. 2, 7). Quamobrem sacrum transitum tuum minime mortem appellabimus, sed somnum et migrationem, vel, ut aptiori voce utar, praesentiam ad Deum: excedens enim e corpore praesens exsistis ad potiora.

11. Te cum angelis archangeli transvexerunt: ascensum tuum impuri spiritus exhorruerunt. Tuo transitu aer benedicitur,

aetheri sanctitas conciliatur. Animam tuam coelum gaudens excipit, tibi cum sacris canticis et laetae solemnitatis ritu coelestes virtutes obviam prodeunt, his similibusve vocibus utentes: Quae est ista, quae ascendit dealbata, exoriens ut aurora, pulchra ut luna, electa ut sol (Cant. 6, 9)? Quam pulchra, quam suavis facta es! tu flos campi, uti lilium in medio spinarum (Cant. 2, 1, 2): propterea adolescentulae dilexerunt te: in odorem unguentorum tuorum cucurrerunt (Cant. 1, 2, 3). Introduxit te rex in cubiculum suum, ubi te stipant potestates, principatus benedicunt, throni concelebrant, cherubim gaudentes obstupescunt, laudant seraphim, ut quae Domini natura veraque dispensatione mater exstiteris. Non enim ad modum Eliae velut in coelum ascendisti. Non uti Paulus ad tertium usque coelum subvecta es (2. Cor. 12, 2); verum usque ad regium Filii tui thronum pervenisti, perspicue eum ac laete contuens et cum magna et inexplicabili libertate astans, angelis et mundo sublimioribus virtutibus universis omni sermone major laetitia es, patriarchis sempiterna oblectatio, justis gaudium ineffabile, perennis prophetis exsultatio, mundo benedictio, rebus omnibus sanctimonia, laboran-

tibus requies, lugentibus consolatio, aegrotantibus medicina, tempestate jactatis portus, peccantibus venia, blandum iis, qui in moerore sunt, levamen, omnibus exorantibus promptum subsidium.

12. O miraculum vere natura praestantius! o res stuporis plenas! Mors, quae odio et exsecrationi olim erat, nunc commendatur et beata praedicatur. Quae quondam luctum et moerorem, lacrymasque et tristitiam afferebat, nunc causa evadit gaudii et laetae celebritatis. Quid, quod omnibus Dei servis, quorum mors beata dicitur, ab ipso fine id comparetur, ut in toto habeant, quod Deo grati sint, eoque mors illorum fausta et felix habeatur? Mora enim eos consummatos ac beatos facit, hoc ipsis afferens, ut virtus ipsorum nulli jam mutationi obnoxia sit, secundum illud oraculum: *Ante mortem ne beatifices quemquam* (Eccli. 11, 30): quod tamen in te non usurpabimus. Tua quippe erat beatitudo, non a morte obtigit, nec tibi tuus hinc transitus perfectionem conciliavit, nec demum migratio tua securitatem. Omnium enim bonorum initium mediumque et finis, securitas etiam et vera confirmatio in illa seminis experte conceptione, in illa divina inhabitatione, in illo sine labe partu

constitit: ac proinde vere prorsus dixisti fore, ut te non a morte, sed ab ipsa conceptione generationes omnes beatam praedicarent. Quocirca non te mors beatam fecit, sed ipsa mortem hilarem reddidisti; ut quae moestitiam ejus sustuleris, ipsamque gaudium esse praestiteris. Quamobrem sacrum et intaminatum corpus tuum piae sepulturae tradebatur, angelis partim praecurrentibus, partim circumdantibus, partimque sequentibus, nullum denique obsequii genus praetermittentibus, quod Domini ipsorum parenti adhiberi par esset: apostolis item et universo Ecclesiae coetu divinos hymnos et ad Spiritus lyram pulsatos alta voce canentibus: *Replebimur in bonis domus tuae: sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate* (Psal. 64, 5). Ac rursus: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus* (Psal. 45, 5). *Mons Dei, mons pinguis: mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo* (Psal. 67, 16). Te apostolorum agmen veram Domini Dei arcam, uti quondam sacerdotes typicam illam, humeris tollentes et in sepulcro condentes, per ipsum velut per Jordanem alterum ad veram promissionis terram, hoc est ad supernam Jerusalem, omnium fidelium matrem, cujus artifex et con-

ditor Deus, transmiserunt. Non enim anima tua in infernum descendit, nec caro tua corruptionem vidit (Psal. 25, 10). Non est relictum in terra immaculatum omnisque labis expers corpus tuum : sed in regias coelorum sedes, regina tu, hera, domina veraque Dei Genitrix, translata es.

13. O quomodo eam suscepit coelum, quae coelos amplitudine sua superavit? quo rursus modo tumulus eam cepit, quae Dei conceptaculum fuit? sane eam cepit ac tenuit. Non enim corporeae molis ratione locus amplior coelo exstitit (quonam pacto enim corpus, quod tribus cubitis constat et quotidie extenuatur, cum coeli latitudine et longitudine comparari queat?) verum per gratiam potius celsitudinis et profunditatis modum excessit. Nihil quippe est quod cum Deo comparetur. O sacrum augustumque et adorandum monumentum, quod etiamnum angeli timore et reverentia assistentes venerantur, horrent daemones, homines cum fide adeunt, honorantes, adorantes, oculis et labris fervidoque animo exosculantes, ubertim denique bonorum copiam haurientes! Quemadmodum enim si quis ingentis pretii unguentum vestibus aut loco alicui imponat rursusque auferat, suavitatis reliquiae etiam ablato

unguento restant: ita quoque divinum tuum et sanctum, et omnis prorsus maculae expers divinaque fragrantia refertum corpus, copiosa illa gratiae scatebra, cum in sepulcro esset collocatum moxque ad praestantiorem ac sublimiorem regionem abreptum, nequaquam sepulcrum honore vacuum reliquit; sed divinum odorem et gratiam impertivit effecitque, ut sanationum bonorumque fons esset illis, qui cum fide accedunt.

14. Tibi nos quoque hodie assidemus, o Domina, Domina, inquam, atque iterum Domina, Dei genitrix Virgo, animos nostros ad spem tuam non secus atque ad firmissimam solidissimamque anchoram alligantes; mentem, animam, corpus, nos ipsos denique totos tibi consecramus, psalmisque et hymnis, et canticis spiritualibus, quantum possumus, honoramus. Fieri quippe non potest, ut pro rei dignitate eo munere defungamur. Nam si, ut nos sermo sacer docuit, honor, qui conservis habetur, benevolentiam erga communem Dominum declarat, quinam studium te honorandi, quae Dominum peperisti, negligendum sit? quomodo non excolendum? quomodo non vel necessario spiramini praeferendum, quando vitam nobis conciliat? Hac enim ratione nostram erga Dominum

benevolentiam luculentius ostendemus. Quid dico, erga Dominum? sufficit certe iis, qui tui memoriam pie recolunt, pretiosissimum recordationis tuae donum: quippe quae ejusmodi laetitiam pariat, quae a nemine auferatur. Qua enim voluptate, quibus bonis non impletur, qui mentem suam sanctissimae recordationis tuae promptuarium fecit? Habes grati animi argumentum hasce sermonum nostrorum primitias pauperisque nostri animi delibationem, qui amore tuo incitatus imbecillitatis suae oblitus est. Tu vero propensum desiderium benigne suscipe, cum exploratum habeas, eam viribus nostris esse superiorem. Tu itaque, bona Domina, boni Domini parens, nos velim inspicias, resque nostras arbitrio tuo regas ac moderis; foedissimarum nostrarum affectionum impetum comprimas, ut, compositis fluctibus, nos ad tranquillum divinae voluntatis portum dirigas, ac futura beatitudine dones; illa, inquam, dulci Dei Verbi incarnati per ejus conspectum illuminatione; cum quo Patri gloria, honor, imperium, majestas et magnificentia, cum sanctissimo bonoque et vivifico ejus Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

HOMILIA VI.

Ejusdem sermo secundus in gloriosam dormitionem sanctissimae Dei Genitricis ac perpetuae virginis Mariae.

1. Etsi nemo mortalium est, qui sacrosanctum Dei Genitricis ex hac vita discessum pro dignitate laudare queat, nec si sexcentas linguas totidemque ora habeat: imo nec si omnes hominum toto orbe dispersorum linguae in unum coeant, dignas ejus laudes exsequi possint (ipsa quippe encomiorum omnium leges superat), attamen, quia Deo acceptum est, quod pro virili nostra fit, atque ex amore et studio probaque voluntate offertur, grataque Dei matri ea accidunt, quae Filio grata et accepta sunt, vestris, optimi ac Deo carissimi pastores, imperiis obtemperantes, eam iterum laudare aggrediamur, Verbi illius opem implorantes, quod carnem ex ipsa suscepit, et os omne implet, quod ad ipsum aperitur, quod tandem solum ei ornamento illustrissimoque encomio fuit. Qua quidem in re hoc nobis est exploratum, quod cum eam laudare incipimus, debitum munus persolvamus, eoque persoluto, debitores denuo esse incipiamus; ita ut debitum et sem-

per incipiat, et semper exsolvatur. Mihi porro propitia sit, quam laudandam suscepimus, quae creata omnia superat omnibusque conditis rebus dominatur, velut mater Dei, qui creator opifexque est et universis imperat. Vos vero etiam, o coetus divinorum sermonum audiendorum avide, ignoscite velim mihi, promptumque animum meum ita suscipite ac desiderio applaudite, ut imbecillitatis meae interim vos misereat. Quemadmodum enim si quis imperatori, qui popularium suorum gubernacula divinitus susceperit, cui cibis semper conferta mensa aulaque exquisitissimorum unguentorum vaporibus perfusa, insueto tempore aut violam colori purpureo similem, aut rosam fragrantissimum spinae germen, folliculos habentem virides floremque gemini coloris ex eis prodeuntem, ex quo speciosus rubor sensim progrediatur, aut denique dulcissimum autumni fructum obtulerit, non tam ille muneris exiguitatem, quam novitatem spectabit, et eximiam charitatem admirabitur, recto plane judicio et sana mente; copiosis vero pulcherrimisque donis agricolam remunerabit; ita quoque, si velut in facundiae hieme reginae flores offeramus, senioque confectam dicendi facultatem ad encomiorum certamina instruamus,

ac cupiditatem menti tamquam lapidem ferro affricantes, aut cogitationem sermonis parentem non secus atque immaturam uvam exprimentes, exiguam quamdam scintillam orationisve mustum, vobis sermonum amatoribus nostrique audiendi cupidis, impertiamus, multo libentiori animo benigne nobis favebitis. Ecquid enim Verbi matri nisi verba offeramus? simile quippe simili gaudet, et illud quoque quod amicum est. Jam ergo orationis apertis carceribus seu laxatis tantisper habenis, eam tamquam equum aliquem ad cursum dirigentes emittamus. Sed mihi, Dei Verbum, suppetias et opem feras: mentem meam sermonum rudem facundam redde[1]), facilem sermoni meo semitam para cursumque, ut tibi placeat, dirige; ad quod utique tendit oratio omnis et cogitatio sapientis.

2. Hodie sancta solaque Virgo mundo sublimiori ac coelesti templo offertur, quae virginitatem eo studio coluit, ut in ejus tamquam purissimi cujusdam ignis formam trans-

---

1) Graece καὶ τὴν ἐμὴν ἄλογον διάνοιαν λόγωσον. Novum hoc est vocabulum, sicut et λόγωσις (ad instar θέωσις, σάρκωσις) a λογόω, quod non adeo facile latine redditur. Sed sensum satis bene expressit versio.

ierit. Nam cum omnis virgo virginitatem pariendo amittat, haec tamen et ante partum, et in partu, ac demum post partum virgo permansit. Hodie sacra et animata arca Dei viventis, quae suum in utero gestavit artificem, in templo Domini, quod nullis est exstructum manibus, requiescit, et saltat David ejus avus ac Dei parens, unaque cum eo choros agunt angeli, plaudunt archangeli, virtutes concelebrant, principatus exsultant, dominationes oblectantur, potestates laetantur], throni festum diem agunt, cherubim laudes canunt, gloriam seraphim praedicant. Non enim id exiguae gloriae ducunt, cum matri gloriae gloriam tribuunt. Hodie sacratissima columba, simplex atque innocens anima, divino Spiritui consecrata, ex arca, eo scilicet corpore, quod Deum suscepit et vitae initium dedit, evolans, pedibus suis requiem invenit, ad mundum intelligibilem profecta, ubi in terra supernae hereditatis nulli spurcitiei obnoxia sedes fixit. Hodie Edem novi Adam rationalem paradisum suscipit, in quo soluta est condemnatio, in quo plantatum est lignum vitae, in quo operta fuit nostra nuditas. Non enim amplius sumus nudi et vestibus carentes, tamquam divinae imaginis splendore destituti uberri-

maque Spiritus gratia spoliati. Non jam veterem nuditatem deplorantes dicemus: *Exspoliavi me tunica mea, quomodo ea induar* (Cant. 5, 3)? In hunc enim paradisum serpenti aditus patuit, cujus falsae divinitatis cupiditate flagrantes, jumentis sumus comparati (Psal. 48, 13). Ipse enim unigenitus Dei Filius, cum Deus esset ejusdemque ac Pater substantiae, ex hac Virgine ac pura terra seipsum in hominem formavit: atque ego quidem, qui homo eram, deitatem accepi, et qui mortalis eram, immortalitate sum donatus pelliceasque tunicas exui: abjecta siquidem corruptione, incorruptione indutus sum, accepto deificationis integumento. Hodie Virgo immaculata, quae nihil terrenarum affectionum admisit, sed coelestibus enutrita cogitationibus, non in terram reversa est; at cum vere coelum esset animatum, in coelestibus tabernaculis collocatur. Quis enim eam coelum appellans a vero aberrat, nisi qui rem recte intelligens, eam coelis quoque incomparabili praecellentiarum suarum modo superiorem esse dicat. Nam qui coelos fabricavit et continet, qui rerum omnium conditarum est artifex tam mundanarum, quam mundo sublimiorum, sive in aspectum cadant, sive aspectum fu-

giant, cujus nihil omnium locus est (si id quod continet, eorum, quae intra sunt, locus esse definitur), in ea semetipsum infantem sine semine fabricavit, eamque adeo speciosum unicae deitatis suae omnia complectentis promptuarium effecit, totus citra passionem ullam in ipsa collectus, et totus extra manens, seque ipse locum incomprehensum habens. Hodie vitae thesaurus, gratiae abyssus (nescio quo pacto audacibusque nihilque trepidantibus labiis id efferam) vivifica morte obtegitur; ac sine metu ad eam illa accedit, quae ipsius profligatorem pepererat, modo tamen mortem sacrosanctum et vitalem ejus obitum appellare liceat. Nam quae veram vitam cunctis protulit, qui tandem morti subdita fuisset? sed cedit legi ab eo latae, quem genuit: et, ut filia veteris Adam, paternam sententiam subit Nam et ejus Filius. qui vita ipsa est, eam non recusavit: ut autem Dei viventis mater ad ipsum merito transfertur. Nam cum Deus dicat: *Ne forte* ille, qui primus est conditus homo, *mittat manum suam, et sumat de ligno vitae, et comedat, et vivat in aeternum* (Gen. 3, 22); quo pacto fieri potuerit, ut quae ipsammet vitam sempiternam nec desinentem, nullisve initii ac finis terminis obno-

xiam suscepit, non in infinitum aevum victura sit?

3. Olim equidem Deus mortalis generis primos satores, cum se inobedientiae mero ingurgitassent, et per transgressionis temulentiam dormitante mentis oculo peccati crapula sic affecti essent, ut oppressis animi luminibus mortifero somno tenerentur, e paradiso Eden exterminavit: nunc vero illam, quae vitii omnis impetum excussit, Deique et Patris obedientiae germen produxit, et universo mortalium generi vitam inchoavit, paradisus non exceperit? annon coelum fores suas reserabit? omnino sane. Eva siquidem, quae serpentis nuncio aures praebuit, hostisque suggestionem auscultavit, sensu suo per falsae ac fallacis voluptatis assultum delinito, moeroris et tristitiae sententiam retulit, ut dolores partus sustineret, et una cum Adamo morte condemnata in imis inferni recessibus collocatur: hanc autem vere beatissimam, quae Dei verbo aures submisit et Spiritus sancti operatione impleta est, atque, archangelo sequestro, de complacito Patris praegnans effecta, quaeque sine voluptate ac viri congressu Dei Verbi personam, cujus omnia plena sunt, concepit, ac pro eo, ut decebat, sine doloribus peperit, quaeque

totam se cum Deo copulavit quomodo mors devoraret? quomodo inferi susciperent? quomodo corruptio corpus illud invaderet, a quo vita suscepta est? Abhorrent haec alienaque omnino sunt a deifera illa anima et carne. Ipsius enim aspectum mors quoque pertimuit: quippe quae, cum ipsius Filium adorta esset, ex his quae pertulit, erudita, periculo suo prudentior evaserat. Haec quidem horrendos inferni descensus nequaquam trivit, sed recta ei, plana et facilis ad coelum parata est via. Cum enim Christus, qui via et veritas est (Joan. 14, 6), dicat: *Ubi sum ego, illic et minister meus erit* (Joan. 12, 26): cur non multo magis cum eo mater ipsius domicilium habeat? Ut enim antequam parturiret[1]), peperit, ita ipsius etiam e vita discessus doloribus caruit. *Mors* quidem *peccatorum pessima* (Psal. 30, 22): at de ea, in qua stimulus mortis, peccatum nempe, enecatum esset, quid tandem dicamus, nisi eam vitae perennis ac potioris principium fuisse? Sane quidem pretiosa est mors sanctorum Domini Dei virtutum (Psal. 115, 15): at pretiosior matris Dei ex hac vita migratio. Nunc coeli laetentur ac plau-

1) Parturiret ὠδίνησεν, partus dolores experiretur.

dant angeli: nunc terra gestiat et exsultent homines: nunc aer laetis cantibus personet: nox obscura tristem et deformem caliginem excutiat, splendoremque diei ignium claritate hilaris imitetur. Etenim viva Domini ac Dei virtutum civitas sublimis fertur, ac reges a templo Domini, hoc est praeclara Sion, ad supernam et liberam suamque matrem Jerusalem praestantissimum donum offerunt, apostoli scilicet, qui totius orbis principes a Christo sunt constituti, Dei matrem perpetuamque virginem.

4. Nec vero alienum fore arbitror, sermone, quantum per me erit, describere et conjectura exponere, ac delineare ea spectacula, quae in sacrosancta hac Dei matre peracta sunt, quaeque mediocriter et compendiarie admodum filius a patre, ut dicitur, ab antiquo accepimus. Cernere enim mihi videor hanc sanctis sanctiorem et sacris sacratiorem, piisque pietate praestantiorem; hanc, inquam, dulcem mannae urnam, vel, ut verius dicam, fontem, in divina celebratissimaque Davidis civitate humili lecto recubantem; in conspicua, inquam, illa et clarissima Sion, in qua lex literae completa et lex spiritus dictata est; legislator Christus typicum Pascha peregit, at veteris ipse novique testa-

menti Deus verum Pascha: in qua Agnus Dei, qui mundi peccatum tollit (Joan. 1, 29), coena mystica discipulos suos initiavit, seque eis uti vitulum saginatum mactavit (Luc. 15, 23) veraeque vitis uvam velut in torculari expressit; in qua Christus ex mortuis resurgens apostolis conspectus fuit et Thomae, ac per eum universo orbi fidem fecit se Deum Dominumque esse (Joan. 20, 28), duas naturas etiam post resurrectionem in seipso ferentem, eisque consentaneas operationes, duas liberasque voluntates in sempiternum aevum perdurantes. Haec ecclesiarum arx est: haec discipulorum diversorium. In hac sanctissimus Spiritus, sonitu edito, cum multarum linguarum dono, ignea forma adveniens, in discipulos effusus est (Act. 2, 1. seqq.). In hac theologus, Dei Genitricis susceptor [1]), quae necesse erant, ei subministrabat. Haec omnium orbis ecclesiarum mater, Deiparae, post Christi ex mortuis resurrectionem, domicilium fuit. In hac ita-

---

1) Theologus i. e. Joannes apostolus, qui b. Virginem sibi a Christo in cruce commendatam *ex illa hora accepit in sua* (Joan. 19, 27). Theologus autem a patribus graecis dicebatur, quod prae ceteris evangelistis de Christi divinitate scripserit.

que beata Virgo in beatissimo quodam lectulo decumbebat.

5. Ceterum quando ad hunc locum pervenit oratio (ut animi mei affectum prodam) ardentissimo ferventissimoque amoris igne accendor, et horrore quodam jucundisque lacrymis occupor, lectum hunc felicem et amabilem ac prodigiis scatentem velut exosculans, qui tabernaculum illud suscepit, ex quo vita orta est contactuque illius sanctitatem participavit. Quin ipsum quoque sacrum et sacrosanctum Deoque dignum habitaculum meis manibus complecti mihi videbar, oculosque, frontem, labia, cervicem ac genas membris illius admovere, ipsum, tamquam si corpus praesens tangerem, sentiebam. At cum propius animum attendissem, oculis id, quod cupidus persequebar, intueri minime potui. Quo enim pacto illud perspicerem, quod sublime in coeleste templum abreptum fuit? Atque haec quidem mihi contigerunt.

6. Quibusnam vero tunc honoribus ab illo, qui parentibus honorem haberi sanxit, ornata est? Eos, qui passim toto orbe ad homines piscandos dispersi erant, modulatissimisque et multiplicibus Spiritus linguis verbique sagena, ex erroris voragine ad spiritualem et coelestem mysticae coenae mensam sacri-

que convivii spiritualium coelestis Sponsi nuptiarum, quas Pater Filio, qui ejusdem cum ipso potentiae ac naturae est, magnifice et regie admodum celebrat, homines extrahebant, divino imperio nubes cujusdam retis instar Hierosolymam adurgebat, velut aquilas quasdam compellens atque in unum cogens. *Ubi enim fuerit corpus*, inquit Veritas, *illic congregabuntur et aquilae* (Matth. 24, 28). Nam quamvis de ejus, qui his verbis usus est, secundo et illustri e coelis adventu id praedictum sit, haud tamen absurde cujusdam condimenti orationis loco hic etiam usurpabitur. Aderant igitur oculati illi testes et ministri verbi, ut pro eo ac debebant, ipsius etiam matri ministrarent, et ex ipsa benedictionem, amplissimam veluti quamdam praestantissimamque hereditatem, haurirent. Ecquis enim dubitat, quin ipsa benedictionis fons sit, et omnium bonorum scaturigo? Una etiam aderant ipsorum asseclae et successores, ut cum ministerii, tum benedictionis participes essent. Quorum enim communis est labor, horum etiam fructus communes esse consentaneum est. Sed et insuper electum a Deo agmen, quod Hierosolymis versabatur. Et vero par erat, ut et primarii quique veterum justorum et

patriarcharum comites illuc accederent, inque sacri hujus satellitii partem venirent; quippe qui carnalem benignissimamque Dei Verbi ex ea nostrae salutis causa nativitatem praenunciaverunt. Quin ne angelorum quidem caterva ab hoc coetu abfuit. Quidquid enim summo Regi ex animo paret, eoque dignum honore est, ut ei assistat, hoc ipsius quoque secundum carnem parentem, beatissimam illam omnibusque generationibus et creaturis excellentiorem stipare oportebat. Huic omnes adstabant Spiritus fulgore collucenti splendidissimisque eos radiis illuminanti, qui reverentia et metu et immobili amore purum in eam mentis oculum defigebant. Nullus enim est coelitum ordo, qui non unanimiter adfuerit, nec quisquam inventus est, qui eo quod in supernis versabatur nullique inferiorum comparandus esset, descendere et omnia quae dixi munera obire recusavit[1]).

---

1) Graece: Ἔστι γὰρ τῶν ὄντων οὐδὲν, ὃ μὴ τοῦτο πέφυκεν, ἢ τὸ μόνον ἓν. ὅτι μηδὲν τῶν ὄντων τῷ ὑπερεῖναι, καὶ πρὸς οὐδὲν παρατιθέμενον κάτεισι, καὶ κατιόν γε πρὸς ἅπαντα, καὶ ποιοῦν, καὶ μὴ τὸ δρᾶσθαι δεχόμενον. Totam hanc periodum omisit Billius, quam codices tamen omnes, quos vidit Lequien, habent. Ipse vero Lequien cum ob-

7. Hic divinitus inspirati divinoque instinctu editi sermones. Hic divini hymni et ornando discessui idonei. Oportebat enim hoc quoque nomine infinitam Dei bonitatem praecelsissimamque magnitudinem, et infinitam potentiam, nec non ipsius erga nos moderationem omni altitudine et sublimitate superiorem, et incomprehensae benignitatis immensas divitias tandemque inexplebilem charitatis abyssum laudibus efferre: quo pacto ipse a sua majestate non excedens ad sublimitatis parentem exinanitionem benigna Patris et Spiritus voluntate descenderit: quo pacto is, qui supra essentiam est, ex feminae utero sublimiori supra essentiam ratione substantiatur[1]): quo pacto Deus cum esset, factus est homo, simul utrumque manens: quo pacto nec a deitatis substantia excessit, et similiter ac nos carnem et sanguinem participavit (Hebr. 2, 14): quo pacto ille, qui

---

scuissimam dicit, neque cum anterioribus consentaneam, hinc liberiorem Lipomani interpretationem hujus loci servandam duxit, quam forte, ut ipse conjicit, ex saniori textu expressit.

1) Substantiatur, ὑπερουσίως οὐσίωται supernaturali modo homo fit: nam per humanam naturam, quae substantia est, Dei Filius vere substantialiterque homo est. Sunt haec desumpta ex Dionysio *de div. nominibus* c. 1.

omnia implet omnibusque superior exsistit, portans omnia verbo virtutis suae, angusto loco in domicilium habuit: quo denique pacto inclytae Virginis corpus, quod materiale est et ad feni naturam accedit, consumentem deitatis ignem exceperit, et instar auri nec consumptum, nec laesum sit. Dei nimirum haec facta sunt voluntate. Deo namque volente nihil est, quod fieri non possit; nolente autem, nihil quod fieri possit. Tunc porro sermonum excitatum est certamen, non ut alter alterum superaret (hoc enim animi inanis gloriae cupidi est, et qui procul absit quin Deo placeat), sed nec quidpiam de animi alacritate et viribus remittentes, Deum laudarent ejusque matrem honorarent.

8. Tunc quidem, tum, inquam, Adam et Eva nostri generis auctores exsultantibus labiis alte exclamarunt: Beata tu, filia, quae violati mandati poenas nobis sustulisti. Tu mortale corpus a nobis sortita immortalitatis indumentum nobis peperisti. Tu, cum a lumbis nostris ortum accepisses, nobis, ut bene essemus, rependisti. Dolores solvisti; mortis fascias rupisti; ad veterem sedem nos postliminio revocasti. Nos paradisum clausimus, tu ligni vitae iter patefecisti. Per nos ex laetis tristia venerunt; ex tristibus

contra laetiora per te redierunt. Quo autem modo, o immaculata, morti obnoxia efficeris? Tu vitae pons et scala coeli: mors ad immortalitatem ponto erit. Vere tu beata es, quae beatissima praedicanda sis. Ecquis enim, qui Verbum non sit, ad hoc tolerandum se obtulerit, quod patrasse censitus sit? His universus sanctorum chorus applaudebat: tu praedictiones nostras implevisti: tu laetitiam, quam praestolabamur, attulisti. Per te enim mortis vinculis soluti sumus. Veni ad nos, o divina vitamque ferens supellex. Veni ad nos tui cupidos, quae nostram explesti cupiditatem. At vero non infirmioribus eam sermonibus circumstantium sanctorum, qui adhuc in corpore versabantur, multitudo retrahebant, his fere verbis: Mane nobiscum, nostra consolatio, unicuique in terra solamen. Ne nos orphanos deseras, benigni illius et misericordis Mater, qui Filii tui causa periclitamur. Te laborum requiem sudorumque refrigerium habeamus. Tibi remanere volenti potestas in promptu est, et abire cupienti nihil impedimento est. Sin abeas, o Dei tabernaculum, una quoque nobis, qui tuus ob tuum Filium populus sumus, abire liceat. Tu sola nobis in terra consolatio relicta es: et te vivente, simul vivere,

et moriente, mori beatum est. Quid vero, moriente, dicimus? tibi namque mors vita est, imo vita praestantior hancque vitam incomparabiliter antecellens: nobis vero vita omnis expers vitae est, consuetudine tua destitutis.

9. Similibus verbis apostoli simul cum universae Ecclesiae agmine beatam Virginem mihi tum allocuti esse videntur. Ubi vero eum ad excessum e vita properantem ejusque cupiditate flagrantem Dei Genitricem conspexerunt, tum denique ad hymnos ad exitum pertinentes sese convertere, divinaque instincti gratia os suum spiritui commodare, et extra carnem abrepti ac cum excedente Deipara simul excedere; ita ut voluntatis conatu, quod ad ejus fieri poterat, ante mortem ipsi excederent. Postquam autem cupiditati simul officioque suo satisfecerunt, floridamque et multiplicem sacrorum hymnorum corollam texuerunt, benedictionem velut thesaurum quendam divinitus datum retulerunt, postrema verba proferentes, quae discessui e vita convenirent. His porro, quantum conjicio, tum praesentis vitae fluxa fragilitas enunciabatur, tum occulta futurorum bonorum mysteria in apertum efferebantur.

10 Mox consentanea quaedam istis et con-

gruentia contigisse 'opinor. Nimirum Regis ipsius ad Matrem suam adventus, ut divinis suis ac purissimis manibus sanctam intaminatamque et labis expertem ejus animam susciperet. Atque ipsa quidem, ut a vero non abhorret, dixit: „In manus tuas, Fili, commendo spiritum meum. Accipe ergo caram tibi animam, quam immunem a culpa servasti. Tibi ac non terrae corpus meum trado: salvum hoc custodi, in quo dignatus es inhabitare, et quod nascendo incorruptum conservasti. Transfer me ad te, ut ubi es tu, viscerum meorum proles, illic quoque tibi sim contubernalis. Ad te enim propero, qui ad me citra ullam spatii distantiam ventitasti. Tu carissimis meis filiis, quos tu fratres appellare non dubitasti, migrationis meae solatium esto. Per manuum mearum extensionem benedictionem eorum novis benedictionibus cumula.“ Tum sublatis, ut credere licet, manibus, omnibus qui collecti aderant, bene precata est. Haec locuta cum esset, vicissimque audiisset, „Veni in requiem meam, benedicta Mater mea: surge, veni, amica mea, pulcherrima mulierum. Ecce enim hiems transiit, tempus putationis advenit (Cant. 2, 10. 11.): tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te (Cant.

4, 7): odor unguentorum tuorum super omnia aromata (Cant. 10).“ His sancta illa auditis spiritum suum in Filii manibus deponit.

11. Quid vero accidit? Elementorum, ut reor, commotio et immutatio, vocesque et soni, digna angelorum cantica, qui partim praecurrerent, partim comitarentur, partim assectarentur. Et quidem alii ex ipsis immaculatae et sanctissimae animae satellitio erant et in coelum scandentem stipabant, quousque regio solio reginam sisterent: alii rursus divinum et sacrum corpus cingebant, hymnisque angelorum propriis Dei parentem celebrabant. Quid autem ii, qui sanctissimo sacerrimoque corpori astabant? cum tremore ardentique amore, et exsultationis lacrymis divinum illud felicissimumque tabernaculum in orbem cingentes amplexabantur et exosculabantur, nullumque non membrum corpori admoventes, ex ejus contactu sanctitate et benedictione perfundebantur. Tum ergo morbi fugam capessebant, daemonum catervae pellebantur et ad subterraneas terrae partes undique abigebantur. Aer, aether ac coelum ascendente spiritu sanctitatem contrahebant, quemadmodum et terra corporis depositione. Quin ne aquarum qui-

dem natura benedictione sua caruit. Abluitur enim aqua pura, non quae ipsam mundaret, sed quae potius mundaretur. Atque hinc surdis auditus, claudis plantae firmitas reddebatur, coecis visus instaurabatur, peccatoribus cum fide accedentibus syngraphae lacerabantur. Deinde puris linteis purum corpus involvitur, lectoque rursus regina imponitur: mox lampades adhibitae et unguenta hymnique funeri deducendo idonei: angelis utique linguis suis hymnum sibi congruentissimum concinentibus: apostolis autem Deoque plenis patribus divinas quasdam cantiones a Spiritu sancto inspiratas modulantibus.

12. Ac tum sane, tum arca Domini e monte Sion abiens venerandisque apostolorum humeris gestata, in coeleste templum per interjectum sepulcrum effertur. Ac primum quidem per mediam urbem ducitur tamquam speciosissima quaedam sponsa, incorporali Spiritus splendore decorata: atque ita ad sanctissimum Gethsemanes locum defertur, angelis praecurrentibus et assectantibus alisque suis eam obvelantibus, ac universo Ecclesiae coetu. Ac sicut rex Salomon ob deponendam arcam in templo Domini, quod ipse exstruxerat, seniores omnes Israel in

Sion coegit, ut arcam Domini deferrent de civitate David, id est de Sion; tuleruntque sacerdotes arcam et tabernaculum testimonii, ac portabant eam tum sacerdotes, tum levitae: rexque et omnis populus ante arcam gradiebantur, ac boves et oves innumerabiles immolabant: ac tandem sacerdotes arcam foederis Domini in locum suum intulerunt, in oraculum domus, in Sancta sanctorum, sub alis cherubim (3. Reg. 8, 1. seqq.; 2. Paral. 5, 2. seqq.): ita quoque ad deponendam spiritalem arcam, non foederis Domini, sed personae ipsius Dei Verbi, novus ipse Salomon, qui est princeps pacis praestantissimusque universi artifex, tum coelestium mentium mundo sublimiores ordines, tum primarios novi Testamenti viros, hoc est apostolos, una cum universa sanctorum, qui Hierosolymis agebant, plebe hodierno die in unum coegit. Ac animam quidem in Sancta sanctorum, in exemplaria vera et coelestia per angelos introducit, ac sub animalium quadruplicis formae alis eam collocans, suo ipsius throno in interiore velaminis parte sistit, quo praecursor ipse Christus corporaliter ingressus est. Corpus autem apostolorum manibus gestatur, Rege regum invisibilis suae deitatis splendore eam con-

tegente, et universo sanctorum coetu praeeunte, et per sacrarum vocum emissionem laudis sacrificium in tumulo, tamquam in thalamo, sacrificante, per ipsum in deliciis Edem inque coelestibus tabernaculis collocatur.

13. Adeiant forte etiam ex judaeis, si qui non admodum improbi exsistebant. Absre vero non est, hoc loci aliquid, quod multorum sermone circumfertur, huic narrationi tamquam condimentum eduliis, admiscere. Ajunt enim, cum ad montis crepidinem venissent, qui beatum Dei Genitricis corpus gestabant, hebraeum quendam peccati servum, quique foedus cum errore pepigerat, illum Caiphae ministrum, qui dominicam divinamque Christi Dei faciem alapa cecideiat, imitantem, diaboli cum factus esset organum, temerario praecipitique ac diabolico impetu concitatum, in divinissimum illud tabernaculum, ad quod angeli non sine metu accedebant, irruisse, arreptumque utraque manu lectulum vesane ac furiose in terram detraxisse (invidiae auctoris principis hic conatus erat), verum fructus labores praecessit acerbamque uvam proposito suo dignam collegit. Orbatum enim fuisse manibus ferunt. Ac cernere erat facinoris mani-

bus propriis patratorem manibus confestim carentem: quoad mentem suam fide ac poenitentia mutasset. Protinus illi, qui grabatum portabant, steterunt, et miser ille, qui manus amiserat, iis tabernaculo admotis, quod vitae principium fuit prodigiorumque fons erat, incolumitatem rursus consecutus est. Calamitas enim prudentia salutariaque consilia parere, ut plurimum, consuevit. Verum ad institutam orationem revertamur.

14. Hinc ad sacratissimam Gethsemanen defertur, ubi rursus oscula et complexus, rursus laudes hymnique sacri, et lacrymae ex angore et calenti amore sudorum scatebrae manantes: ac videre licebat sudores et lacrymas fluentis suis mutuo veluti certamine conflictantes. Atque ita sanctissimum corpus clarissimo praestantissimoque tumulo imponitur; unde triduo post in coelos attollitur. Siquidem divinum illud domicilium, illum minime effossum aquae remissionis fontem, inaratum illud coelestis panis arvum, illam nunquam irrigatam uvae immortalis vineam, illam paternae miserationis olivam, vernantibus perpetuo foliis pulcherrimisque fructibus onustam, terrae penetralibus claudi minime conveniebat. Quin potius

sicuti sanctum incorruptumque illud corpus, quod Deus ex ea personae suae copulaverat, tertia die e monumento surrexit; sic etiam hanc e tumulo abripi matremque ad Filium migrare par erat: et, ut ipse ad eam descenderat, sic eam ad majus praestantiusque tabernaculum, hoc est, ad ipsum coelum deferri. Oportebat, inquam, ut quae Deum Verbum ventris sui hospitio exceperat, in divinis Filii sui tabernaculis collocaretur; et quemadmodum Dominus se in his, quae Patris sui essent (Luc. 2, 49), versari debere dixerat; sic quoque Matrem in Filii regia commorari conveniebat, id est in domo Domini et in atriis domus Dei nostri (Psal. 133, 2). Nam si in ea laetantium omnium habitatio est (Psal. 86, 7), ubinam fuisset causa laetitiae? Oportebat, ut ejus, quae in partu virginitatem sine labe servaverat, incolume etiam post mortem corpus servaretur. Oportebat eam, quae Creatorem velut infantem sinu gestaverat, in divinis tabernaculis degere. Oportebat, ut sponsa, quam Pater spoponderat, in thoris coelestibus habitaret. Oportebat, ut quae Filium suum in cruce conspexerat, et gladium quem pariendo effugisset, pectore tunc exceperat, ipsum Patri considentem spectaret. Opor-

tebat denique Dei Matrem ea, quae Filii essent, possidere, et ab omnibus creaturis adorari. Quamquam enim hereditas a parentibus ad filios semper devolvitur, nunc tamen, ut eruditi cujusdam verbis utar, sacrorum fluminum fontes sursum cursum relegunt. Res quippe omnes conditas Filius Matri mancipavit.

15. Age igitur, nos quoque Dei Matri diem festum discessui ipsius consentaneum obeamus, non tibias ferentes ac corybantes, ac illius falsorum numinum matris, ut ipsi dicunt, divina orgia celebrantes, quam stulti homines multorum liberorum fuisse parentem fabulantur, ipsa autem veritas, nullos edidisse monstrat. Daemones enim ista sunt, atque umbrosa quaedam spectra, id quod natura non sunt, perperam fingentes, in subsidium accedente aberrantium hominum amentia. Quonam enim modo id, quod corpore vacat, ex concubitu gignat? quomodo miscebitur? quomodo id Deus erit, quod cum ante non esset, in ortum postea prodit? Nam quod daemonum natio corpore careat, inter omnes constat; etiam inter eos qui mentis oculis capti sunt. Ait enim in quodam operum suorum loco Homerus, dignorum se deorum statum exponens:

Non panem comedunt, nec vino ardente potantur:
Unde cruore carent, immortalesque vocantur:

Non panem edunt, inquit, non vinum quod calefaciat, ob eamque causam sanguinis expertes sunt et immortales appellantur. Ac proprie quidem dixit, *appellantur*. Immortales enim vocantur; at non sunt id, quod vocantur, quippe qui vitii mortem obierunt. Nos vero, qui Deum colimus, Deum, inquam, non ex nihilo productum, sed sempiternum ex sempiterno, omnique causa, ratione et cogitatione tum temporis, tum naturae superiorem, Dei Matrem honoramus ac veneramur. Non quod divinitatem ejus ortum ex ea traxisse statuamus (Dei siquidem generatio tempore caret, eandemque cum Patre aeternitatem habet), verum secundam nativitatem confitemur per voluntariam carnis susceptionem, cujus causam et novimus et laudibus efferimus. Propter nos enim ac nostrae salutis causa incarnatur, qui sine initio incorporeus est; ut simili per simile salutem afferat: atque assumpta sine virili complexu carne, ex hac sacra Virgine paritur, ipse totus Deus manens et totus homo factus: ipse totus Deus una cum carne sua totusque ho-

mo cum sua divinitate. Ad hunc modum Dei matrem Virginem istam agnoscimus, ejusque dormitionem celebramus; non deam hanc esse praedicantes (graecarum praestigiarum sunt ejusmodi figmenta), quippe cum ipsius mortem nunciemus: sed Dei incarnati Matrem agnoscentes.

16. Hanc nos, qui eo locupletati sumus, ut Christi populus et simus et dicamur, sacris hodie canticis praedicemus: hanc nocturnis stationibus honoremus. Hanc animi et corporis munditia oblectemus; hanc, inquam, vere puram atque omnibus post Deum puritate praestantem. Solent enim similia similibus exsultare. Hanc misericordia et commiseratione erga egenos colamus et observemus. Si nulla re perinde atque misericordia Deus colitur, quin iisdem quoque rebus ejus mater oblectetur, quis eat inficias? Haec ineffabilem divinae erga nos dilectionis abyssum explicavit. Per hanc diuturnum illud bellum, quod cum Creatore gerebatur, profligatum fuit. Per hanc nobis cum eo reconciliatio sancita paxque et gratia donata est: unde angeli una cum hominibus choros agitant, et qui prius contemptui eramus, Dei filii effecti sumus. Ex ea vitae uvam collegimus: ex ea immortalitatis germen excer-

psimus. Haec nobis omnia bona conciliavit. In hac Deus homo factus est et homo Deus: quo quid mirificum magis? quid beatius? Equidem metu aestuo, id quod loquor extimescens. Cum Maria prophetissa (Exod. 15, 20), o animae adolescentulae, assumptis tympanis choreas agitemus; hoc est membra, quae sunt super terram, mortificemus (Col. 3, 15): hoc enim est, quod tympanum mystice significat. Ob arcam Domini jubilemus, et muri Jericho (Josue 6, 20), sive infestae adversariorum potestatum munitiones corruent. Cum Davide Spiritu saltemus (2. Reg. 6, 14): hodie enim arca Domini requiescit. Cum Gabriele angelorum antesignano clamemus: *Ave, gratia plena, Dominus tecum* (Luc. 1, 28). Ave, plena gratia, inexhaustum gaudii pelagus. Ave, unica moeroris obliteratio. Ave, pharmacum dolorem ex omni corde pellens. Ave, per quam mors expulsa est, vita autem importata.

17. Jam vero, o sacrorum omnium sepulcrorum, saltem post Domini sepulcrum, quod vitae initium dedit resurrectionisque fons fuit, sacratissimum (tecum enim tamquam animatum esses, mihi sermo erit), ubi tandem illud sincerum aurum est, quod apostolorum manus in te condiderunt? ubi inex-

haustae opes? ubi pretiosum monile, quod vitam suscepit? ubi animata mensa? ubi novus tomus, in quo ineffabili ratione Deus Verbum citra manus operam inscriptus est? ubi gratiae abyssus? ubi sanationum pelagus? ubi fons, ex quo vita parta est? ubi denique sacratissimum illud atque amabilissimum corpus Dei Genitricis? Quid eam in sepulcro quaeritis, quae ad coelestia tabernacula elata est? Quid custodiae rationem a me exposcitis? non eae meae vires, ut divinis jussis relucter. Relicta sindone sacrum illud et sanctum corpus, quod sanctitatem mecum communicavit, meque unguento et suavissimo odore implevit, ac divinum delubrum effecit: abreptum hinc sursum abiit, stipantibus angelis et archangelis, omnibusque coelorum virtutibus. Nunc me angeli observant. Nunc in me divina gratia habitat. Ego officina medicinae aegrotantibus evasi. Ego fons sanitatum perennis. Ego daemonum profligatio. Ego iis, qui ad me confugiunt, civitas refugii. Accedite, populi, cum fide, et gratiarum dona affluentissime haurite. Accedite, qui fide minime ambigua estis. *Sitientes, venite ad aquas*, exhortatur Isaias, *et qui non habetis argentum, venite, et emite sine pretio* (Isa. 55, 1). Ego uni-

versis evangelice clamo: Quisquis morborum sanationem sitit, vitiorum animi depulsionem, peccatorum abstersionem, quarumcunque calamitatum submotionem, regni coelestis requiem, ad me cum fide veniat donumque gratiae efficacissimum atque utilissimum exhauriat. Quemadmodum enim aquae virtus et actio, ut et terrae aerisque ac splendidissimi solis, simplex licet atque una sit, varie tamen et secundum earum rerum, quae ipsius participes sunt, naturam immutatur, fitque in vite quidem vinum, in oliva oleum; ita quoque gratia, quamvis simplex et una sit, varie tamen et pro uniuscujusque utilitate, eos a quibus percipitur, beneficio afficit. Nec vero gratiam hanc a mea natura habeo. Sepulcrum omne fetore plenum est, moeroris causa et laetitiae hostis. Verum pretiosum unguentum suscepi, ex quo suavis odor mihi impertitus est: hocque unguentum ea suavitate tantaque vi praeditum est, ut vel leviter admotum, fructum ejusmodi afferat, quod auferri non possit. Sine poenitentia enim sunt divina dona (Rom. 2, 29). Gaudii fontem hospitio excepi perennisque hujus scaturiginis divitiis affluo.

18. Videtis, amicissimi patres et fratres, quibus ad nos verbis celeberrimum hoc se-

pulcrum utatur. Quod autem haec ita se habeant, liquet ex euthymiaca historia, in qua lib. III. cap. 40, ita diserte scriptum est [1]): „Superius diximus, quemadmodum sancta Pulcheria in urbe constantinopolitana plures ecclesias construxit. Harum una est illa, quae in Blachernis aedificata fuit primis annis imperii Marciani divinae memoriae. Cum itaque laudatissimae sanctissimaeque Dei Genitrici perpetuaeque virgini Mariae venerandam aedem illic exstruxissent, omnique ornamentorum genere decorassent, sacrosanctum quod Deum suscepit corpus conquirebant: accitisque Juvenali Hierosolymorum archiepiscopo et Palaestinae pontificibus, qui tum ob concilium Chalcedone coactum in urbe regia versabantur, his eos verbis alloquuntur: Hierosolymis primariam et egregiam Dei Genitricis ac perpetuae virginis Mariae ecclesiam esse audivimus, in eo loco, qui Gethsemane vocatur, ubi ejus corpus, quod vitam tulit, in loculo conditum est. Volumus ergo has reliquias istuc afferri, ut imperatrici huicce civitati praesi-

---

1) Referunt haec alii quoque scriptores veteres in suis de dormitione b. Mariae V. homiliis, qui narrationem hanc forte omnes ex eodem hauserunt fonte

dio sint. Ad haec Juvenalis ita respondit: Etsi, quae in sanctae Dei Genitricis morte contigerunt, sanctae ac divinitus inspiratae Scripturae paginis minime prodita sint; tamen ex antiqua et verissima traditione accepimus, quod gloriosae ipsius dormitionis tempore universi quidem sancti apostoli, qui orbem terrarum ob gentium salutem peragrabant, momento temporis in sublime elati, Hierosolymam convenerunt, cumque illic essent, eis visio apparuit angelica et divina melodia audita est supernarum potestatum. Et sic cum sancta et coelesti gloria animam sanctam Deo commendavit: ejus autem corpus, quod Deum susceperat, cum angelico et apostolico cantu elatum in loculo Gethsemani depositum est: quo in loco angeli totos tres dies choros agere et canere non destiterunt. Post tres autem dies angelico cantu cessante, qui aderant apostoli, cum unus Thomas qui abfuerat, post diem tertium venisset, et quod Deum tulerat corpus adorare voluisset, tumulum aperuerunt. Ac laudatissimum quidem illius corpus nequaquam invenire potuerunt: cum autem jacentia lintea reperissent, atque inenarrabili, qui ex eis proficiscebatur, odore perfusi essent, loculum clauserunt. Tum mysterii obstu-

pefacti oraculo, hoc solum cogitare potuerunt, quod cui placuit ex Maria virgine in persona propria carnem sumere, et hominem ex ea fieri et nasci, Deus Verbum et Dominus gloriae, quique post partum incorruptam ejus servavit virginitatem, eidem placuit, et ipsius postquam migravit, immaculatum corpus incorruptione et translatione ante communem et universalem resurrectionem honorare. Aderant tunc cum apostolis sanctissimus apostolus et primus ephesiorum episcopus Timotheus et Dionysius areopagita, sicut magnus ipse Dionysius testatur in his, quae de beato Hierotheo, qui ipse tunc aderat, ad praedictum apostolum Timotheum scripsit in haec verba: „Quandoquidem apud ipsos etiam a Deo afflatos sacrorum antistites, quando nos quoque, ut nosti, et multi ex sacris nostris fratribus ad contuendum corpus, quod vitae principium dedit ac Deum suscepit, convenissemus (aderat autem et Domini frater Jacobus et Petrus, supremus praestantissimusque apostolorum vertex), tum viso corpore placuit omnibus, prout quisque poterat, hymnis celebrare infinitam bonitatem divinae potentiae: post theologos omnes alios sacrorum praecones, ut non te fugit, superabat, totus excedens,

totus extra se raptus, atque ita affectus, ut cum his, quae canebat, copulatus videretur, et ab omnibus, qui ipsum audiebant et videbant, et quibus sive notus, sive ignotus erat, numine correptus divinusque plane hymnorum auctor censeretur. Quid autem de his, quae divine illic dicta sunt, ad te sermonem habeam, cum ipse, nisi mei ipse oblitus sum, nonnullas etiam divinorum illorum cantuum partes saepe a te me audivisse noverim.“ His imperatores auditis, ab archiepiscopo Juvenali petierunt, sanctum illum loculum una cum gloriosae et sanctissimae Dei Genitricis vestibus, quae in eo positae erant, ad se mitti sigillo communitum. Quem cum accepissent, in veneranda aede sanctae Dei Matris, quae in Blachernis sita est, deposuerunt. Atque ita quidem haec gesta sunt.“

19. Quid porro nos vicissim ad sepulcrum dicemus? Tua equidem gratia perennis atque indeficiens est: ceterum divina vis minime locis circumscribitur, nec Matris beneficia in solo monumento commorantur. Nam si sepulcro solo definirentur, pauci admodum hujusmodi dono divinitus imbuerentur. Atqui in omnibus orbis finibus illud se copiose diffundit. Ac proinde curemus, ut mens me-

moriaque nostra Dei Genitricis promptuarium fiat. Quo autem pacto id assequemur? Virgo ipsa est et virginum amans: casta est et castitatis amans. Quocirca, si cum corporis, tum etiam memoriae castitatem colamus, gratiam ipsius adipiscemur. Lutum siquidem omne fugit ac coenosas affectiones tamquam genimina viperarum. Ingluviem exsecratur, foedissimae scortationis vitiis infensa est: turpes sermones et cantus propellit; meretricia unguenta rejicit: irae tumorem odit: inhumanitatem, invidiam et simultates non admittit: inanem gloriam variis se laboribus frangentem aversatur: superbiae fastui hostili animo resistit: injuriarum recordationem exhorret uti salutis adversariam: vitium denique omne tamquam lethale venenum reputat: horum autem contrariis delectatur. Contraria enim contrariorum medicamenta sunt. Jejunio, continentia, psalmorum cantibus gaudet: cum puritate, virginitate et pudicitia illi pulchre convenit, perennemque cum illis pacem colit, et humane eas et comiter exosculatur. Pacem et animi lenitatem complectitur: charitatem, misericordiam et humanitatem, tamquam alumnas suas ulnis fovet. Atque, ut rem paucis perstringam, quolibet vitio tristitia

afficitur et indignatur; qualibet virtute, uti proprio suo munere, laetatur. Quamobrem si vitia alacri animo vitemus, et virtutes omni studio persequamur easque socias adhibeamus, frequens ipsa ad famulos suos veniet, et secum bonorum omnium agmen trahet, Christumque Filium suum et omnium Regem ac Dominum una assumet, qui in cordibus nostris habitet; cui cum Patre et sanctissimo Spiritu gloria, honor, potestas, majestas et magnificentia nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

HOMILIA VII.

Ejusdem oratio tertia in dormitionem sanctissimae Dei Genitricis.

1. Eorum, qui rei alicujus amore flagrant, haec consuetudo est, ut illud in ore et mente perpetuo ferant, idque noctu diuque sibi repraesentent. Ne me igitur quispiam redarguat, si post duos, quos pronuntiavi laudatorios sermones, tertium hunc quoque habeam, quem Dei mei Matri tanquam munus ob ejus excessum deferam: non ut illi gratiae aliquid ex me accidat, sed mihi potius vobisque, qui adestis, o divine et sacer coetus, utile animis et salutare, ac sacrosanctae

huicce nocti accommodum obsonium apponam, spiritualisque oblectationis lucrum afferam. Esculentorum quippe nos, ut videtis, inopia cepit. Quamobrem convivium vobis extemporaneum paro, quod licet nec munificentissimum sit, nec ea dignum, quae nos invitavit, attamen famem necessario compescere poterit. Neque enim ipsa laudibus nostris indiget: verum nos gloria, quae ex illa fluit, egemus. Nam quod jam est gloria cumulatum, quanam gloria augebitur: ac luminis fons, quonam pacto illuminabitur? Nobis vero per ea, quae agimus, corollas nectimus: *Vivo enim ego, ait Dominus, quia glorificantes me glorificabo* (1. Reg. 2, 30). Vere quidem suavis, suavis, inquam, potus est vinum nutriendoque idoneus est panis qui editur. Illud enim laetificat, hic cor hominis confirmat (Psal. 103, 15). Sed quid Dei Matre dulcius? Haec mentem meam captivam tenet: haec linguam depraedata est: hanc diu noctuque meditor: haec, cum Verbi sit parens, verba quoque suppeditat. Infecundae[1]) fetus est, quae infecundos animos fructiferos reddit. Hujus sacrum divi-

1) Infecundae i. e. Annae, quae secundum veterem traditionem prius sterilis erat.

numque transitum hodie celebramus. Eia agite, ad montem ergo mysticum ascendamus, et terrenis ac materiae obnoxiis imaginibus superiores facti, atque in divinas tenebras, quae comprehendi nequeunt, intromissi, divino lumine comparato infinitam virtutem collaudamus: qui factum sit, ut qui ex celsissima et incorporali specula, quae extra omnem aleam est, paterno ex sinu non egressus [1]), in virginalem uterum descendens, et assumpta carne conceptus, voluntariaque passione adita morte, cum corpore ex terra procreato, incorruptione per corruptionem acquisita, ad Patrem iterum reversus, Matrem suam secundum carnem ad genitorem suum attraxerit, et ipsam, quae coelum terrestre fuerat, ad coelestem terram sustulerit.

2. Hodie scala spiritualis animata, per quam Altissimus descendens in terris visus est, et cum hominibus est conversatus (Baruch. 3, 38), per mortem quasi per scalam ex terra in coelum perrexit. Hodie terrestris mensa, quae coelestem vitae panem divinitatisve carbonem sine nuptiarum usu gestaverat, e terra in coelum subvecta est, Deique

1) *Non egressus.* Totius hujus periodi sensus est: quomodo de coelo in virginalem uterum descendens, quin Patris relinqueret sinum etc.

portae ad orientem positae, coelorum portae elevatae sunt. Hodie ex terrestri Jerusalem civitas Dei animata ad supernam Jerusalem reducitur: et quae creaturae omnis primogenitum unigenitumque ex Patre, primogenitum ex seipsa et unigenitum conceperat, in primogenitorum Ecclesia commoratur. Arca Dei animata et rationalis ad Filii sui requiem transfertur. Paradisi fores reserantur, et arvum quod Deum tulit, excipiunt; ex quo sempiternae vitae lignum pullulans, Evae inobedientiam necemque ab Adamo illatam enecavit. Christus ipse cunctorum vitae auctor, suscipit specus excisum, montem non exsectum, ex quo lapis nulla manuum ope avulsus, totum terrarum orbem implevit. Thorus divinae Verbi humanitatis, in gloriosissimo sepulcro velut in thalamo requiescit: ex quo ad nuptiale in coelis positum cubiculum migrat; ubi cum Filio et Deo aperte regnatura est: ac sepulcrum, ut iis, qui in terris agunt, thalami loco esset, reliquit. Itane vero sepulcrum thalamus est? ita prorsus, ac thalamo quovis illustrius: non auri splendoribus, non argenti claritate, non lapidum fulgoribus micans, non sericis pannis et contextis ex auro et purpura vestibus exornatum, sed radiante divinitus splen-

dore sanctissimi Spiritus: non corporum connubium terrae amatoribus, sed iis, qui Spiritu vincti sunt, animarum sanctarum vitam praebens, scilicet meliorem omnibus suaviorem que apud Deum statum. Sepulcrum hoc ipsa Edem formosius est, et ne blanditias, quas in illa hostis adhibuit, commemorem, egregium [1]), ut sic loquar, consilium, invidiam, fraudem, remissum Evae animum, suasionem, dulcem simul atque amaram escam, per quam, amissa mente, conjugem quoque ea spoliavit, inobedientiam, exsilium, mortem edisserens, solemnitatem tristitiae argumentum efficiam: hoc sepulcrum, inquam, ex terra mortale corpus ad coelos sublevavit: illa vero ex alto in terram generis nostri parentem deduxit. Etenim in ipsa ille, qui ad imaginem Dei factus est, condemnationem hanc accepit: *Terra es, et in terram reverteris* (Gen. 3, 19). Sepulcrum hoc antiquo est tabernaculo pretiosius, rationale et animatum, ac divinitus illuminatum candelabrum includens, et mensam vitam ferentem, quae non panem propositionis, sed coelestem; non ignem materia constantem, sed

1) *Egregium*, ita per ironiam dictum, hinc perfidum.

eum, qui materia omni superior est, Deitatis nimirum, suscepit. Sepulcrum hoc Moysis arca fortunatius, quod non umbras et figuras, sed veritatem ipsam sortitum est. Recepit enim sinceram aureamque urnam, quae coeleste manna produxit: tabulam animatam, quae Verbum Dei digito, validissimo utique Spiritu, Verbum subsistens incarnandum excepit; aureum thuribulum, quod divinum carbonem peperit, bonoque odore naturam universam replevit.

3. Fugam arripiant daemones, quemadmodum antiquitus aegyptii: ejulatus edant miserrimi hominum nestoriani, eorumque princeps junior Pharao, saevissimus orbis depopulator et tyrannus. Profundo namque blasphemiae absorptae sunt. Nos vero, qui siccis pedibus salvati sumus salsumque impietatis mare transivimus, Dei matri excedenti canticum decantemus. Maria, sive Ecclesia, tympanum manibus sumat, festivumque diei canticum exordiatur: spiritalis Israelis puellae choreis perstrepentes exeant. Reges terrae et judices, una cum principibus, juvenes et virgines, senes cum junioribus Deiparae hymnos dicant: coetus item omniumque generum sermones, et variae gentium et populorum linguae novum con-

cinant canticum. Spiritualibus fistulis ac tubis aer circum personet, et igneis splendoribus, salutarem diem innovet. Gaudete, coeli, et nubes justitiam pluant: exsultate, electi Dei gregis arietes, divini apostoli, qui velut alti sublimesque montes celsissimis speculationibus sublati estis; vosque, agni Dei, populus sanctus, Ecclesiae pecora, collium instar inductione animi ad excelsos montes attigistis. Papae! papae! fons vitae, Domini Mater moritur? Oportebat enim, ut quod e terra conflatum erat, ad terram reverteretur, atque ita in coelum transmitteretur, post corporis in terra depositionem purissimam vitam accipiens. Decebat enim ut, quemadmodum aurum, terra deposita et caliginosa mortalitatis mole, carne in morte velut in fusura incorrupta ac pura, atque incorruptionis fulgore rutilanti e monumento resurgens indueretur.

4. Hodie, quae primae exsistentiae, corporalis scilicet, principium ei dedit, qui temporale initium non habuit prioris et sempiternae suae exstantiae, etsi Patrem principium habebat, tamquam divinae suae exstantiae auctorem, haec secundae exsistentiae[1])

1) *Secundae exsistentiae* scil. gloriosae in coelo.

initium ab eo accipit, qui ipsi dedit ut primum exsisteret. Gaude, Sion, divinus mons et sanctus, in quo mons divinus et animatus habitavit: nova Bethel, in qua columna uncta est, humana nimirum natura divinitate peruncta: ex te ejus Filius ad coelestem sublimitatem, quasi ex olivis est evectus. Praeparetur nubes per orbem se extendens et supramundana, et ventorum alae, quae apostolos ex terrae finibus in Sion advehant. Qui sunt isti, qui tamquam nubes et aquilae ad corpus resurrectionis omnium causam volant, Dei Matri ministraturi? quae est ista, quae ascendit dealbata? tota pulchra, resplendens ut sol? Spiritus citharae concinant, apostolicae linguae, theologorum vertices cymbalis perstrepant. Vas electionis Hierotheus, divino Spiritu consecratus[1]), divina unione res divinas edoctus passusque, totus e corpore excedat, totus liberam animi electionem sequens abeat laudatoriisque canticis plaudat. Gentes omnes manibus plaudant: Deiparam omnes laudent. Angeli obnoxio morti corpori serviant. Filiae Jerusa-

---

1) Hierotheus, discipulus fictitius Dionysii areopagitae. *Divina unione*, familiari conversatione cum Deo.

lem, praeeuntem reginam sequimini (Psal. 44, 15), et velut proximae illi virgines Spiritu juvenantes ad sponsum simul convehamini, a dextris Domini astiturae. Descende, descende, Domine, Matri, uti par est, debita nutricationis tuae praemia persolvito. Divinas extende manus: maternam animam suscipe, qui paternis manibus spiritum in cruce deposuisti: dulci eam susurro compella. Veni, pulchra, proxima mea, quae virginitatis forma solem ipsum splendoribus superas. Tua mecum communicasti; nunc meorum particeps esto. Accede, Mater, ad Filium: jam cum eo, qui ex te natus est et tecum egestatem subiit, regnum teneto. Abi, Domina, abi, non uti Moses, ascende ac morere. Morere potius primum, dein ascende. Animam Filii tui manibus repone: terrae quod terrae est, redde: nam hoc etiam tecum simul sublevabitur. Tollite, o populo Dei, oculos; tollite, et ecce in Sion arcam Domini Dei virtutum, cui reipsa apostoli quidem astant, corpus quod vitae principium et Dei receptaculum fuit funerantes: angeli vero incorporali invisibilique ratione fovent, Domini sui Genitrici non sine timore servorum instar assistentes. Ipse quoque Dominus adest, qui ubique praesens est, omnia

complens et universa continens, cujus nullus est locus: in ipso enim omnia sunt, velut in Creatore, qui cuncta condit et complectitur. Ecce virgo, Adami filia Deique Mater, corpus terrae propter Adamum tradit: animam vero ad coelestes sedes propter Filium transmittit. Urbs sancta sanctificetur, ac cum aliis benedictionibus, sempiternam benedictionem referat. Divini tabernaculi pompam angeli praecedant, et sepulcrum apparent. Id fulgore Spiritus honestetur: unguenta componantur, quibus purissimum odoratissimumque corpus perfricetur. Adsit unda limpida, quae benedictionem hauriat ex mundissimo benedictionis fonte. Exsultet terra depositione corporis: exsiliat aer ascensu Spiritus: spirent aurae rorulentae plenaeque gratia: Dei Matris conscensum creatura omnis concelebret, juniorum coetus jubilent, oratorum linguae hymnos fundant, sapientum corda miraculum philosophentur: senes canitie venerandi intenta acie speculationes edant: universae demum conditae res symbolam conferant suam. Nec vero sic minimam tantae dignitatis partem attingent.

5. Eia agite, omnes una cum abeunte abeamus. Agite, omnes desiderio cordis cum ea, quae in monumentum descendit, descen-

damus: sanctissimum grabatum circumsepiamus. Sacros hymnos canamus, hoc modo concinentes: *Ave, gratiâ plena, Dominus tecum* (Luc. 1, 28). Ave, quae praedestinata es Dei Mater. Ave, quae consilio Dei ante secula praeelecta es, ut divinum germen esses divini ignis habitaculum, Spiritus sancti sacrata statua, aquae vivae fons, ligni vitae paradisus, divini racemi palmes, ex quo nectar animatum et ambrosia profluxerunt: fluvius aromatum Spiritus plenus, terra divinae spicae, rosa virginitate clarissima et gratiae fragrantiam spirans, regii indumenti lilium, agna Agnum Dei pariens tollentem peccatum mundi, salutis nostrae officina, angelicis potestatibus sublimior, ancilla et mater. Agite, mundissimum sepulcrum circumdemus, divinumque inde gratiam hauriamus. Agite, ulnis animi corpus perpetuae virginitati addictum gestemus, in monumentum introeamus, unaque moriamur, abdicatis quidem corporis affectibus, simul vero cum ea nulli labi, nulli vitio obnoxiam ducentes vitam; divinos denique canticos ex angelicis labiis nulli materiae subjectis effusos audiamus. Introeamus adoraturi mysteriique novitatem cognoscamus, ut elata, ut sublata, ut in coelum delata est, ut Filio

super omnes angelorum classes astat: nihil enim inter Filium et Matrem medii est. Hanc ad te de tuo exitu tertiam orationem post duas alias habui, cum summa erga Trinitatem reverentia et desiderio, cui ex complacito Patris et Spiritus virtute ministrati, Verbum principii expers omnipotentemque Dei sapientiam et facultatem excipiendo. Conatum itaque vires meas excedentem suscipe, salutem praebe, vitiorum animi alienationem, aegritudinum corporis quietem, adversariorum casuum solutionem, vitae tranquillam conditionem, Spiritus illuminationem. Amorem in Filium tuum accende, vitam nostram, quae illi grata sit, institue, ut beatitatis quae apud ipsum est, participes facti, te Nati tui gloria resplendentem intuentes, sacros hymnos emittamus, aeterna oblectatione in eorum conventu, qui pro dignitate Spiritus festa celebrant, in illius honorem qui per te salutem nostram est operatus, Christi Dei Filii, cui gloria et imperium cum Patre principii nescio sanctissimoque et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in omnia, et infinita secula seculorum. Amen.

JOANNIS MONACHI ET PRESBYTERI EUBOEÆ

SERMO IN CONCEPTIONEM SANCTAE DEIPARAE [1]).

Benedic Pater.

I. Paulus, magnus ille apostolus, magnorum ille arcanorum divinorum interpres, sollicitam salutis nostrae curam gerens, nos

---

1) De hujus orationis auctore pauca omnino sunt, quae dici possint. Ea complexus est Guilelmus Cave *hist. liter.* ad a. 744. scribens: „Joannes monachus et presbyter, postea, ut videtur, Euboeae episcopus claruit circa a. 744.“ Orationem hanc primum integram edidit Antonius Ballerini in sua egregia *sylloge monumentorum* ad mysterium conceptionis immaculatae V. Deiparae illustrandum t. 1. pag. 47—104. e codice diu conquisito et demum feliciter in insigni Barberiniana bibliotheca reperto, qui tamen non caret mendis: sed ea leviora sunt, neque ejusmodi obducunt tenebras, ut orationis sensus fugiat. Secuti sumus ejus editionem, plerasque quoque annotationes retinuimus, quas litera B. designavimus.

et edocendo, et arguendo, et increpando, et obsecrando excitat, ut (1. Thess. 5, 17, 18) in omnibus gratias agamus, et sine intermissione orationi instemus. Et hoc quidem in omnium prorsus est potestate. At vero mysteria illa adeo supra modum sublimia nemo vel a longe attingere dignus censeri potest, qui interioris hominis intuitum purificatum non habeat, sed hujusmodi exsistat, qualis et ego miser (deprehendor) peccatorum meorum funibus constrictus; cui propterea illud unum reliquum sit, ut quotidie *iniquitatem meam annuntiem, et de peccato meo cogitem* (Ps. 37, 19). Verum cum me hinc quidem desiderium et affectus impellat, inde vero retrahat timor, atque ad silentium mea me indignitas compellat, ac peccata mea *sicut onus grave gravata sint super me* (Ps. 37, 4); jam et plane nescio, quid faciam. Remne suscipere in animum inducam, indignus cum sim? Quid dicam? memetipsum redarguam, deplorabo miseriam meam, atque omni laude dignissimae, Sanctae Virginis Mariae, quae Deum excepit, Deumque peperit, laudes e corde erumpentes cohibebo?

2. Verum tu ipsa mihi opitulare, o Dei Mater, ut Christi Dei nostri abs te geniti

benigna voluntas fiat; ut ne mens mea, tamquam hominis indigni, suis maneat involuta tenebris; sed potius dum scribendo manum admoveo, mihi adesto, eadem illa suggerens sensa, quae dum scribendo intentus non sum, inter cogitandum de encomiis tuis, menti meae sese offerunt. Multoties enim dum igniloqui illius ac magniloquentis Isaiae verba recolo, propter indignitatem meam me totum animo commoveri ad lacrymas usque sentio. Si enim vir ille divinus hujusmodi visione dignatus, usque adeo semetipsum humiliavit; quid tandem ego faciam, qui etiam vita ipsa sum plane indignus? Inquit enim (Is. 6, 1. seqq.): *Factum est in anno, quo mortuus est Ozias rex, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum; et plena erat domus gloria ejus. Seraphim stabant in circuitu ejus.* Et audivit vocem ter illud acclamantem: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum.* Et dixit Isaias (Is. 6, 5. sec. 70): *Heu me miserum, consternatus enim sum, quoniam homo cum sim, et labia cum habeam polluta, in medio populi polluta labia habentis ego habito; et regem exercituum vidi oculis meis. Et missus est ad me unus de Seraphim, et habebat in manu sua carbonem accensum, quem*

forcipe sumpserat ex altari, et tetigit os meum et dixit: Ecce hoc tetigit labia tua, et auferet iniquitates tuas, et peccata tua penitus purgabit. Jam vero si magnus hic Dei propheta dolet adeo miseriam suam; quid mihi faciendum putem, qui os et labia et cor et omnes sensus habeo immundos, nisi dexteram ipsa mihi porrigas, o plane immaculata[1])? Saltem si quidem celebrandis pro dignitate tuis laudibus plane impar exsisto, preces tibi ad Deum nostrum ex te incarnatum pro mea tenuitate offero (etsi enim omnes digni haberi queant, ego tamen indignus reperior), vi veluti attractus ac desiderio exardescens, ut vel de micis mensae electorum particeps esse queam. Potest enim vel ipsarum micarum copia quispiam exsaturari.

3. Ecce nunc decet, illa beati Pauli verba usurpare, ac dicere: *Ecce nunc tempus ac-*

1) Vides absolute et antonomastice Deiparam *plane immaculatae*, seu *labis omnis plane expertis* nomine compellari. Et sane dignissimum est, quod animadvertatur, tot Deiparae cum sint praerogativae, eaeque omnes ac singulae praecellentissimae, eam tamen, quae altius SS. Patrum mentibus apparet defixa, quaeque saepius ex eorum ore profluere atque a calamo excidere sponte solebat, puritatem illam esse cujusvis maculae nesciam. B.

ceptabile, ecce nunc dies salutis (2. Cor. 6, 2). Ecce Judas, qui Josephi misertus est, misericordiam reportat. Ecce Jacobi filius Ruben, id est e Ruben prognatus, moleste affligit[1]) prognatum ex Juda. Ecce donum Caini nequaquam acceptum. Ecce et justus Abel in donis suis a Deo testimonium accipit; et ecce Davidis petitio ac desiderium impletum est. Inquit enim: *Aufer a me opprobrium et contemptum* (Ps. 118, 22). Ecce ab Joachimo et Anna precatio ascendit, et a Deo omnipotente descendit miseratio.

4. Ecce nova ab ipso Conditore praeparatur arca[2]), quae infinito intervallo noeticam,

---

1) Respicit hic quae narrantur in protoevangelio sive *sermone historico de natalibus J. Christi et ipsius matris Mariae* (de quo cf. supra) c. 1: Joachim scil., cum pro gentis consuetudine munera Deo oblaturus ad templum ascendisset, probris exceptum ac repulsum fuisse a quopiam seu nomine Ruben (nam in nonnullis exemplaribus illius historiae additur appellatio Ruben) seu rubenita i. e. ex tribu Ruben, propterea quia (quod inter judaeos maledictum habebatur) prole careret.

1) Ecce habes, quodnam mysterium per festum Conceptionis Deiparae celebraretur: praeparatio nempe seu aedificatio cujusdam novae arcae ad Deum excipiendum idoneae. In id sane mentis obtutum defigamus oportet. Etsi enim Auctor deinceps non affirmaret diserte *(inf. in fin. Orat.)*, arcam istam san-

atque etiam mosaicam antecellit: illa siquidem continendis Legis tabulis (exstructa fuit), haec vero Deo excipiendo (aedificatur). Ecce navis, quae maria percurrit, ac pereuntem mercis fructum requirit. Joachim vero et Anna fructum quaerunt humanae formae [1]), et ecce suscipiunt concham, quae sine semine coelestem illam ac pretiosissimam margaritam, Christum nempe Deum nostrum, est

---

ctissimo ac vivificante Spiritu cooperante constructam a Dei Verbo fuisse; tamen ad stabiliendam conceptionis sanctitatem vel illud nosse sufficeret, et festum ad divinae hujus arcae exstructionem celebrandam spectasse; hanc vero exstructionem nihil esse aliud, quam Deiparae conceptionem. Verissimum namque cum sit, tum quod S. Bernardus ad canonicos lugdunenses scribebat (Epist. 174), nefas in Ecclesia haberi, quod festum ibi celebretur, ubi peccatum dominatur, adeo ut peccatum honorari religiose videatur; tum quod semper et ubique et ab omnibus in Ecclesia retentum est, nisi de Sancto festum non celebrari: definiendum necessario est, Mariae igitur aedificationem seu conceptionem ideo solemni cultu fuisse celebratam, quia ex Ecclesiae sensu sanctitate et puritate refulgens credebatur. B.

1) *Humanae formae*, secundum leges naturae, consuetum. Frequens ss. patribus fuit, b. Virginem conchae ea etiam de causa comparare, quod opinio tunc ferretur, concharum proprium esse, ut non e suscepto semine, sed rore e coelo in easdem delapso, margaritas seu prolem proferrent. B.

editura. Ecce Joachim et Anna, ille quidem in monte jejunans, haec vero in horto multa prece Deum exorans, obtinent receptaculum illius, qui montes constituit et plantis hortum exornavit[1]). Ecce in horto de horto illo antiquo hominibus reddendo laetum nuncium (exauditur).

Ecce luctus in gaudium conversus est, et lamentatio in exsultationem. Ecce gemitus et lacrymae temporariae, gaudium vero, quod verbis enarrari non possit, in secula permansurum. Ecce opprobrium (sterilitatis) sublatum; ecce donum, quod auferri non potest, Deo oblatum, et in utero continens Deum, qui circumscribi non potest. Ecce et Isaias ligneam serram, et Jeremias cisternam coenosam, et Daniel leones magnasque illas tribulationes oblivioni tradiderunt ac pro nihilo habent, animo recolentes sua ipsorum praeconia veracissima eventu fuisse comprobata. De beata etenim Anna ipse quoque

---

1) Iterum respicit illud *protoevangelium*, in quo c. 1. narratur, Joachimum cum Anna confugisse ad preces ac jejunia, votoque se obstrinxisse oblaturum se Deo, si quam prolem ipsis concedere atque ita sterilitatis probrum avertere dignaretur: monitos dein fuisse parentes de prole mox suscipienda.

Isaias clamat: *Laetare sterilis, quae non paris* (Is. 54, 1).

Ecce et Aaronis virga, quae floruit, in arca undequaque auro circumtecta reponitur. Et ecce alia virga floret, non incisa [1]), neque humano sermone effabilis. Et nemo hominum eam gestare in viam potest; ipsa vero cum gestavit, qui portat omnia, qui *extendit coelum sicut pellem* (Ps. 103, 3), cujus *manus aridam formaverunt* (Ps. 94, 5).

5. O rem plane admirandam! Judas ille, qui olim Josephum e morte eripuit, et patrem fratresque e diris famis angustiis liberavit, hic contumeliis afficitur [2])! At fratrum invidia Josephum in regem promovit; atque semen Judae a Rubenis semine invidiose pressum ac probris afflictum, Virginem reginam ac regem aeternum protulit.

Quid est, quod indignaris, o Ruben? contra stimulos calcitras. Num tibi per prophetam Deus protulit vaticinii verbum? Nonne

---

1) *Non incisa*, viro incognita. Quae mox sequuntur: „Et nemo hominum eam gestare in viam potest", obscura sunt: forte significant hominum neminem dignum fuisse, qui cum ea matrimonium consummaret.

2) *Contumeliis afficitur*, scil. in persona Joachimi, qui oriundus erat e tribo Juda. — *A Rubenis semine*. Cf. supra annot. 1. pag. 161.

soli Judae dixit: *Celebra, o Juda, festivitates tuas. Ascendit enim, qui in faciem tuam afflat* (Nahum. 1, 15. sec. LXX)? Quis est hic, o propheta? Omnium (inquit) rerum opifex, qui (Gen. 2, 7) inspiravit Adamo spiritum vitae; qui in discipulos atque apostolos suos *insufflavit, et dixit: Accipite Spiritum sanctum* (Joan. 20, 22).

6. Sed ad propositum revertamur. In historiis duodecim tribuum Israelis[1]) haec referuntur: *Erat Joachimus valde dives, ac dona sua dupla offerebat, secum ipse inquiens: quod in oblato substantia mea superabundat, erit omni populo, et quod est pro debiti mei solutione, erit Domino. Deo in meam expiationem.* Instabat autem dies solemnis; et filii Israelis dona sua afferebant. At vero Ruben[2]), obviam ipse se si-

---

1) En, inquiet morosus quispiam, undenam petantur quae de b. V. ortu feruntur. Atqui, repono, quod Virginis conceptio idem fuerit ac novae arcae ad excipiendum Deum aedificatio divina, hoc profecto ex historia duodecim tribuum Israelis mutuatum non est. B.

2) Quod superius jam monuimus, auctor potius quam hominem Ruben nomine dictum, videtur heic intellexisse quempiam e Rubenis tribu. Hinc aditus ipsi ad Ruben illum Jacobi filium ac Rubenitas redarguendos. B.

stens, inquit: *Non licet tibi munus tuum afferre ante alios, cum semen in Israel non suscitaveris.*

Quo probro Joachimus graviter contristatus est. Vides tristitiam secundum Deum, quae, prout beatus Paulus docuit (2. Cor. 7, 10), adducit vitam aeternam. O incomparabilem Davidis filii mansuetudinem! O viri admirabilis non fucatam innocentiam! O justae radicis mentem divino Spiritu actam! Quamquam divitiis et nobilitate insignis et regio genere esset, non tamen cogitavit de ultione, non intulit contumelias: non accurrit ad forum judiciale, non imprecatus est: non minatus est plagas. Non objecit illud: Ego ex tribu benedicta ortum duco, tu vero ex impuro patre, qui Israelis patris nostri lectum contaminavit. Poterat sane haec omnia Rubeni opponere; sed haudquaquam cum eo verbis conflictatus justus ille expedito propere gressu sese duodecim tribubus Israelis adjunxit. Et cum non invenisset id, quod quaerebat ad levamentum moeroris, in montem se recipit. Quid autem justus? Omnino Davidis carmen resumit, et inquit: *Si ini-*

---

1) *Ad levamentum moeroris.* Cum non reperit alios conjuges, qui prole prorsus caruissent.

micus maledixisset mihi, sustinuissem utique; et si superbe mihi is insultasset, qui me odio prosequitur, ab ejus conspectu me subduxissem. Domine Deus, ne avertas faciem tuam a lacrymis meis (Ps. 54, 13). Ita enim fere secum ratiocinabatur: si ego solus in universo Israele liberorum expers sum, et (omnium) opprobrium effectus, satius mihi est mori fame ac siti confectum, quam ut alius Semei me ceu alterum Davidem contumeliosis verbis opprimat.

7. Quid tam immani ira commoveris, o Ruben primogenite et acerbe? Quid tu benedictionis exsors adversus eum insurgis, qui benedictionem consequutus est? Quid tu, pauper, regem [1]) judicas et condemnas? Nonne moriens Jacob utriusque pater tuam quidem amentiam redarguit, Judae autem bene precatus est? Ecce enim morti proximus ita locutus est: *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tuae in dorso inimicorum tuorum: et adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda; ex germine, fili mi, ascendisti. Reclinis accubuisti ut leo, et ut catulus leaenae; quis suscitabit eum?*

---

1) Regem, regiam stirpem Judae scil. in uno ex suis posteris.

Non deficiet princeps de Juda, et dux de femoribus ejus, donec venerit cui repositum est, et ipse erit exspectatio gentium. Alligans ad vitem asinam suam, et ad helicem pullum asinae suae. Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum. Laetificantes sunt oculi ejus prae vino, et candidi dentes ejus quasi lac (Gen. 49, 8. seqq. sec. LXX).

Antea porro exprobationes in Ruben protulerat. Inquit enim: *Ruben primogenitus meus et principium filiorum meorum, pervicax nimis quam ut ferri possit, pervicax et procax. Fecisti contumeliam sicut aqua ex alveo suo diffluens, non ebullias; ascendisti enim cubile patris tui, tunc maculasti stratum, in quod ascendisti* (Gen. 49, 3. sec. LXX).

Ecce igitur ipse Jacob in benedictione filiorum suorum vaticinatur, immortale regnum ex Juda oriturum. Tu vero justum e templo abigis? O vere rubenitica stultitia atque invidia dignum facinus!

8. Cum igitur justus Joachim duodecim tribus Israelis perlustrasset, et qui liberorum expers esset, alium reperisset neminem; dolore oppressus in montem se recipiens, sinceras ibi preces ad Deum fundit. Anna in-

terim domi sese continebat, atque ambo seorsim quisque, precibus insistunt, suumque ipsorum patrem Davidem imitantes, et ipsi inclamantes illud psalmorum usurpant oraculum, quod inquit: *In tribulatione dilatasti me, miserere mei et exaudi orationem meam* (Ps. 4, 1. s.).

Anna deinde cum animadverteret mariti cunctationem, coepit questu tranquillo lamentari, et secum ipsa fari dicens: quonam secessit vir meus carissimus? aut quae hujusmodi mora? quantum video, haudquaquam boni ominis. Num adhuc ille perlustrat filios Israel, quaerens utrum nos soli fructu caruerimus? Equidem cum heic versaretur, aequanimis ipse erat ac festivus, neque immodicae se tradebat tristitiae. Nam ceterum potens est Deus, qui Sarae provecta jam ultra tempus aetate dedit Isaacum, et Rebeccae Jacobum, et Racheli Josephum, et Annae conjugi Elcanae prophetam Samuelem, et conjugi Manue Samsonem illum nazaraeum, Deus, inquam, qui hos respexit exaudivitque, potens est nostra quoque postulata facere: verum quam acerbus me manet dolor, si ceterum non modo prole caream, sed et virum amiserim? Si germen mihi aliquod afforet, non adeo forte de stirpe do-

lendum mihi esset; verum si praesentem nunc eum haberem, qui mihi ab ipsa juventute dilectus fuit, jam neque de sobole spem plane abjicerem. Heu! quid faciam, domine mi, quem ex affectu in conjugem mihi delegeram! Ubi enim nunc es? an forte te lugebo ut mortuum? Verum non vidi sepulchrum tuum. Saltem te exspectem, tamquam peregre in longinquam regionem profectum? At nemo est, qui ad me renunciet, quod dominum meum uspiam viderit. Heu quis erit, qui mihi narret, ubinam sit conjux et convictor meus? ubi Abrahami nepos et aemulator? ubi Isaaci contubernalis? ubi Israelis vaticinio praedictus? ubi radix Jesse? ubi progenies David?

Haec porro evenerunt anno a mundi exordiis quinquies millesimo quadringentesimo octogesimo tertio [1]) et in septuagesima quinta

---

1) Vix dubitare fas est, annos heic secundum epocham constantinopolitanis consuetam computari. Itaque cum constantinopolitani nativitatem Christi assignarent anno a mundi creatione quinquies millesimo quingentesimo octavo, consequens est, hanc quoque traditionem seu opinionem aliquando receptam fuisse, Deiparam anno ante Christi nativitatem seu melius incarnationem vigesimo quinto conceptam fuisse, adeo ut vigesimum quintum annum ageret, cum ad

generatione, uti nescius errandi scriptor testatur Lucas, qui seriem (generationum) inverso ordine ad Deum usque inchoat a Josepho.

9. Quoniam igitur sol justitiae oriturus erat ex Juda, propheta a longe ad ipsum clamat (Nah. 1, 15): *Celebra, o Juda, festivitates tuas; ascendit enim, qui in faciem tuam afflat* (Nah. 2, 1). Quis est hic, o propheta? Dic nobis. *Qui inclinavit coelos et descendit* (Ps. 17, 10), ipse est (inquit), qui inhabitat in coelis; qui cum Patre in coelo est, et in terra clauditur in utero; qui cherubim tremendus, et hominibus est mitis; qui descendit ad inferorum portas, et eum, qui fuerat aliquando fortis, vinculis adstrinxit (Luc. 9, 21. 22); qui mortis imperium dissolvit; pastor bonus, qui oves suas ab inferis eduxit, et ante eas vadens, *unamquamque nominatim vocat* (Joan. 10, 3. 4). *Qui descendit*, inquit Apostolus (Eph. 4, 10), *ipse est et qui ascendit.*

10. Quaenam vero, o propheta, sunt festivitates, quas clamas Judae agendas? Hoc deinde Videns declarat: Non legales (inquit)

---

annunciandum ei divini Verbi incarnandi mysterium missus est angelus.

festivitates Judas celebrabit mihi, non eas quae in sabbatorum, et novi mensis religionibus peraguntur et in solemnitate tubarum. Etenim *Tempus faciendi Domino*, ut dissipet legem tuam[1]). Cum itaque gratia advenerit, decem solemnitates insignes agendas esse dico.

Prima omnium insignium solemnitatum[2]) ea est, in qua Joachimus et Anna faustum generationis plane immaculatae et genitricis

---

1) Habes accommodationem illius (*Ps.* 118, 126) juxta LXX: Καιρὸς τοῦ ποιῆσαι τῷ κυρίῳ, διεσκέδασαν τὸν νόμον σου. B.

2) En habes Deiparae conceptionem inter praecipuas atque insigniores solemnitates recensitam. Neque verō moveat (quod non nemo cavillose dictitavit), quod unice agi memoria dicatur nuncii ab Joachimo et Anna accepti de Virgine gignenda. Consimili sane modo paulo post mentio fit festivitatis, *in qua Gabriel illud Ave Virgini pronunciavit.* At adeone desipiat quispiam, ut dicat, totam festi rationem angeli adventu et illius *Ave* pronunciatione contineri? Ceterum primae hujus festivitatis quaenam vera sit ratio, aperte in fine orationis ab auctore declaratam reperies. Quamquam et hoc loco, quasi auctor ineptos hos cavillos divinaret, adjecit, binas illas Deiparae festivitates ita alteram ab altera distingui, ut in prima *conceptio*, in altera *nativitas* celebretur. Non ergo merum angeli nuncium, sed Deiparae conceptio, eaque potissimum hoc festo colebatur. B.

Dei Mariae nuncium acceperunt. Tum augustissima ejusdem Mariae nativitas; illic conceptio, heic nativitas. Alia deinde solemnitas veneratione cultuque dignissima, in qua Gabriel pedibus materiae expertibus terram calcans, illud *Ave* Virgini pronunciavit. Postea salutaris illa mundo universo Regis omnium Christi Dei nostri ex Virgine nativitas. Deinde et ascensio in templum et in ulnas Simeonis exceptio. Ac rursus lucifera apparitio [1]), et rursus in monte Thabor transfiguratio; et vivifica passio, Pascha immortalis resurrectionis. Et rursus in caelos ascensio et ad dexteram Patris in carne sessio. Tandem extremus magnusque dies festus, in quo sanctissimus Spiritus in sanctos discipulos et apostolos Domini nostri Jesu Christi descendit. *Age, o Juda, solemnitates tuas.* Istae igitur solemnitates sunt, quas celebrandas a Juda propheta indicit [2]).

---

1) Lucifera apparitio i. e. Epiphania.

2) Ex quo nulla heic fiat mentio festivitatis *dormitionis* Deiparae, suspicari quispiam posset, nondum forte idem festum in euboeensi ecclesia receptum fuisse. At non ita res habet; nam ad finem orationis hoc quoque festum celebrari consuevisse auctor commemorat. Porro hinc nobis conceptionis festivitas magis commendatur. Cum enim mysteria solemniori cultu celebranda denario numero compre-

11. Praestitutis autem temporibus adventantibus, justitiam omnem jam oportebat impleri. Unde cum Joachimus in monte preces funderet, Anna vero intra domesticos parietes lugeret, haec domo egressa in hortum suum se contulit, quo tam gravis moeroris levamen aliquod hauriret. Et ecce Angelus Domini adstitit, ipsi dicens: *Anna, Anna, exaudivit Dominus deprecationem tuam, et concipies, et paries, et celebrabitur semen tuum in universa terra.* Ne tristeris, o Anna; fructus tuus finem imponet earum dolori, quae in angustiis pariunt[1]). Ipsa enim est, quam prophetae omnes salutem per ipsam exspectantes praenunciarunt. O vos beatos, Joachim et Anna! Verum beatior sane est quae a vobis progignitur! Sic ad eos angelus.

Age, o Juda, solemnitates tuas (Nah. 1, 15), non in veteri Testamento, sed in novo.

---

hensa dicantur, in hunc numerum conceptionem Deiparae potius quam ejusdem sanctissimam dormitionem relatam cernimus. B.

1) Vulgatissima est penes veteres haec doctrina, atque eo etiam spectat, sententiae pariendi in doloribus adversus Evam prolatae Deiparam nullatenus fuisse obnoxiam. Id autem ipsi quoque Annae tribuitur in sacris graecorum Officiis, filiae scilicet, quam utero gestabat, gratia (Men. die 9. Dec. in

Hoc igitur principium est novi Testamenti[1]), principium est novae arcae ad Deum excipiendum in Annae utero exstructae, quae est

---

Stich. ante Synaxarium): „*Haudquaquam, sicuti Eva, tu quoque, o Anna, paries in doloribus; nam gaudium in utero gestas* (οὐχ ὥσπερ Εὔα, καὶ τὸ τῶν λύπαις τέκεις· χαρὰν γὰρ, Ἄννα, ἔνδον κοιλίας φέρεις).“ B.

1) Cum propria novi Testamenti nota seu character sit operatio gratiae, principium vero novi Testamenti collocetur in *ipso initio* exstruendae arcae Deo excipiendo destinatae, scilicet *in conceptione* Deiparae; ergo Mariae conceptio non solius naturae (sic enim ad legem peccati spectasset), sed gratiae quoque opus fuit. Hinc Ecclesia graeca in sacris hujus solemnitatis officiis canit, veteres legis umbras exoriente Virgine transiisse, quia *splendor gratiae, id est Maria*, effulsit (Men. die IX. Dec. Ode ζ'): „Vere legis umbrae praetereunt; ecce enim divinae gratiae splendor Virgo refulget, nubes illa, e qua vere coruscans sol Deitatis exoritur (Νόμου αἱ σκιαὶ σαφῶς παρατρέχουσιν· αὐγὴ γὰρ ἰδοὺ τῆς θείας χάριτος ἐμφανίζεται ἡ παρθένος. νεφέλη ἐξ ἧς ὁ φαιδρὸς τῆς θεότητος ἀνίσχει ὄντως ἥλιος“. Et rursus eadem die celebrat graeca Ecclesia *conceptas* in Annae utero *primitias novae aedificationis* (Ibid.): „Exsultent montes et colles, campi et maria, multitudo angelorum et universum mortalium genus; Anna enim divinum Domini templum, novae aedificationis primitias concepit.“ (Ὄρη καὶ βουνοὶ, πεδία καὶ θάλασσα, ἀγγέλων πληθὺς καὶ πᾶσα φύσις βροτῶν εὐφραινέσθωσαν τοῦ δεσπότου· τὸ θεῖον γὰρ τέμενος, ἀπαρχὴν ἀναδομήσεως ἐδέξατο Ἄννα.) B.

ex radice Judae, Jesse et Davidis. Inquit enim propheta: *Et suscitabo tabernaculum Davidis, quod cecidit, et reaedificabo ruinas ejus.* Ecce erigitur tabernaculum David in conceptione et procreatione filiae ejus[1]). Ipsa est enim, de qua primus omnium Jacob vaticinans Judae benedixit, ita inquiens: *Juda, laudarunt te fratres tui* (Gen. 49, 8)!

Vere vos beati, Joachim et Anna. Vos enim ex Juda, Jesse et Davide, haec autem ex vobis, et ex ipsa legis dator, et Dominus prophetarum, atque extremis temporibus perfector legis Christus Dominus.

12. Haec angelus ad benedictos illos conjuges Joachimum et Annam; atque ulterius

---

1) Cum haudquaquam materialiter, sed spiritualiter accipienda sit restitutio illa collapsi tabernaculi, ruinarumque aedificatio a propheta praenunciata; de restauratione igitur per Christum facienda, et de aedificatione per gratiam perficienda sermo est. Insuper ejusmodi restauratio et reaedificatio (uti patet) ita locum habuit in Deiparae conceptione et generatione, ut tabernaculi illius erectio sit ipsa Deiparae *conceptio.* Atqui si in conceptione Virginis suus reliquus fuisset peccato locus, jam in ipsa conceptione jure merito non quidem tabernaculi erectionem suspiceremus, sed ruinas et lapsum deploraremus. Iteratam ergo confessionem doctrinae a Deiparae conceptione peccati omnis suspicionem excludentis habemus. B.

adjecit: Bono animo estote, gaudete et exsultate. Instat enim tempus a propheta adnunciatum, quo ex Bethleem et terra Juda rex magnus est oriturus, et non modo populum Israelis, sed et gentes reget universas.

Vere beati ac ter beati, Joachime et Anna; at millies beatior Davidis progenies ac filia, quae e femore atque utero vestro progreditur. Vos enim terra estis; ipsa vero coelum: vos terreni; per ipsam vero terreni (evadunt) coelestes [1]). Vere vos beati, quoniam rex ille

---

1) Hoc etiam loco cujusvis labis expertem Deiparam luculenter praedicari, nullus equidem dubito. Quid enim sunt heic *terreni* seu *terra*, nisi homines in collapsae naturae statu spectati, qui per reparationem deinde ad statum gratiae cum transeunt, coelestes fieri dicuntur? Id sane exigunt tum contextus, tum rei ipsius natura, tum tritissimus hujus locutionis in lingua ecclesiastica usus ex notissima apostoli sententia (1. Cor. 15, 47. seqq.) suam ducens originem. Deipara porro non modo *a terra illa* atque a *terrenis* prorsus heic sejungitur, ut veluti e regione istorum altero in ordine collocetur; sed (quod probe notabis) dum hoc ipsum efficitur, ipsa non *coelestis* dicitur, sed absolute *coelum* vocatur: nempe si *coelestis* diceretur, aliquid habere commune cum iis forte videretur, qui coelestes fieri ibidem dicuntur, antea terreni cum fuerint; dum vero absolute appellatur *coelum*, haud obscure innuitur, hanc (donorum suorum in eam cumulum conferente Deo pro singulari, ad quam electa fuerat, dignitate) suam

gloriae, quem Moyses videre non potuit, filiae vestrae pulchritudinem concupivit (Ps. 44, 11, 12).

---

veluti sibique propriam exstitisse conditionem. Id vero luculenter ex eo confirmatur, quod Mariae *conceptae* conditionem ope hujus imaginis exhibere familiarissimum in Orientis Ecclesia fuisse novimus. Ita Georgius nicomediensis (ut hoc saltem heic innuam) celebrans Virginis conceptionem, coelum nobis datum gratia fulgidum proclamat (Orat. III. *in Concept. et Nat. Deip.* in *Auct.* Combefisii tom. I. col. 1043): „Coelum sublimius (terra) excipit hodie genitum, caelum lucidius prorsus et spatiosius, coelum . . . quod non visibilibus astris, sed multiplicis spiritualis lucis fulgore nitescit (τὸν ὑπέρτερον οὐρανὸν ἀποτικτόμενον δέχεται, τὸν ὑπέρφωτον ὄντως καὶ εὐρυχωρότερον . . . τὸν οὐκ ἄστροις ὁρωμένοις, ταῖς νοηταῖς δὲ ποικιλλόμενον ἀμδουχίαις)." Id ipsum tota graeca Ecclesia in sacris Deiparae conceptae Officiis sic repetit (Men. die IX. Dec. ad init. Matutin.): „Deo omnium conditore affiante, novum in sinu Annae coelum fabricatur; e quo ille, qui solus sincerus est hominum amator, propter suae charitatis excessum tamquam sol occasum nesciens effulgebit, ut Divinitatis suae radiis universum mundum illuminet: (ὁ) νέος οὐρανὸς ἐν κοιλίᾳ τῆς Ἄννης τεκταίνεται Θεοῦ παντουργοῦ ἐπινεύσει, ἐξ οὗ . . . . ." Neque vero absonum videatur, praefato sensu *terram terrenosque* vocari Joachimum et Annam aliosque justissimos: ibi enim quod conditionis erat, non quod reparationis, exprimitur. Rursus autem id maximopere vim dictis addit: si enim illi utut justissimi *terra* ac *terreni* appellati sunt, hoc non terrenae eorum conversationi, sed vi-

Vos beati, Joachime et Anna, quia rationalem paradisum genuistis. Ipsa enim non ab hominibus modo, verum etiam ab angelis, ab archangelis, a cherubim atque a seraphim beatissima praedicatur, quippe quae impollutis suis visceribus creaturarum omnium et paradisi auctorem gestavit.

13. Et ecce ut Anna ab angelo audivit prorsus immaculatam puellam[1]) se conce-

---

tiatae conditioni tribuendum est. Ergo si et Deipara semel eodem originis vitio infecta fuisset, aequo jure et ipsa *terra et terrena* audivisset, non autem sua veluti conditione *coelum*, per quam et parentes ejus *coelestes* evaderent, quemadmodum et Joannes noster indicat, et sic eleganter prosequitur etiam Isidorus thessalonicensis episc. (Orat. *de Nativ. Deip.* n. 9): „Anna vero cum generaret, filia sua indigebat ut regeneraretur . . . Neque ipsa solum, quae per preces mater ei fuit, sed ejusdem etiam progenitor opus habuit, ut ipsam veluti matrem nanciscerentur (Ἄννα δὲ ἀναγεννηθῆναι τῆς παιδὸς ἐδεῖτο γεννῶσα . . . καὶ οὐχ ἡ προσευχὴς αὐτῇ μήτηρ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ πρωπάτορι ταύτης ἐδέησεν, ὅσπερ οἱονεὶ μητρὶ χρήσασθαι)." B.

1) Auctor heic tamquam exploratum supponit, Annam *de plane immaculata puella concipienda* jam ab angelo monitam fuisse. Atqui in eo, qui praemittitur, angeli sermone nihil habes, quod huc spectet, nisi quod Maria *coelum* dicatur in oppositione ad reliquos omnes, qui *terreni* proclamantur; et quod paulo post Joachimus et Anna dicantur genituri

pturam ac parituram esse, gaudio gestire coepit. Nondum autem is aderat, quem exspectabat, dilectus nempe conjux.

Cum itaque justus quoque Joachimus laetum accepisset nuncium futuri de lumbis suis conceptus, laetitiae apparatus in duplum ac triplum instituit adornare, ac decuplo gaudio et exsultatione efferebatur. Cumque, uti consueverat, jam plene dona et sacrificia obtulisset, sterilis concepit; et exspectabant ambo fructum generationis, qualis nempe foret proles nascitura.

Porro instante jam tempore augustissimae nativitatis plane immaculatae puellae ac Genitricis Dei, propheticum impletum est oraculum, quod locutus est Isaias: *Laetare, sterilis, quae non paris* (Is. 54, 1). Laetata est enim et exsultavit maxime beata Anna; et dixit obstetrici: Quid peperi? et respondit obstetrix: Filiam. Et subdidit Anna: Afferam illam donum Domino Deo.

---

paradisum rationalem (§ praec.). Ut ergo verbis auctoris sua stet veritas, dicendum est, appellationes illas tum *coeli* tum *paradisi rationalis*, quas angelus concipiendae proli tribuisse perhibetur, ex mente auctoris ipsius omnimodam illam significare puritatem, cujus gratia puella prorsus immaculata (παν-άμωμος) proclamatur. B.

14. En palam igitur sacrificium Triadi offerentes Mariam, Annam et Joachimum. Cum enim edita in lucem fuisset puella, atque aetate progrederetur, obtulerunt eam non quidem bimulam, nec item quatrimam, sed trimulam tamquam indivisae Trinitatis sponsam et thalamum immaculatum. Communi praeterea voto ipsam adduxerunt, tamquam quae utrumque futura erat, ac primo quidem donum oblata Deo est, deinde vero et (tamquam) templum et thronus. Prophetico igitur spiritu Virginem in templo Domini obtulerunt.

O rem plane miram! In templum lapidibus exaedificatum affertur animatum templum et thronus cherubicus. Et sane jam a multis ante generationibus David de ipsa palam vaticinatus est: *Audi*, inquit, *Dei* [1]) *filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui; et concupiscet rex pulchritudinem tuam* (Ps. 44, 11). Et rursus: *Adducentur regi*

---

1) *Dei filia.* Suo marte Joannes hic addit vocem *Dei;* neque enim in Psalmo legitur *Dei* filia, sed mere *filia.* Verum solemne ac familiare ss. patribus fuit, ut singulari laude Deiparam ceu Dei filiam celebrarent. Nil proinde mirum, si ultro ex ore et calamo Joannis id excidit. B.

virgines post eam (Ps. 44, 15). Quomodo adducentur? *in laetitia* scilicet *et exsultatione* (ib. v. 16). Qualis et quanta haec est, o propheta! Quoniam nequaquam decebat, ut in templum regis sola sine comitatu regina adduceretur; jam et hic comitatus diu ante per Spiritum sanctum praenuntiatus est. Et rursus: *Proximae ejus afferentur tibi* (Ps. 44, 15). Cum sancta igitur Virgine aliae quoque virgines adductae; atque, ut manifestum est, et ipsae sanctificationis participes fuerunt. Ecquis enim eorum, qui sunt in comitatu regis vel reginae, munera ab ipsis praemiaque non referat?

Ceterum et aliae sunt virgines, de quibus, ne sermonem longius protraham, pauca tantum attingam. Hae sunt, quae virginitatem tamquam regium thesaurum cum servaverint, sollicitam sui curam nunquam non adhibent, ut quinque fatuis nequaquam similes efficiantur, sed jugiter vigiles domum regiam custodiant, et unico suo ipsarum sponso placeant. Ita enim ipse praecepit, inquiens: *Nemo potest duobus dominis servire* (Matth. 6, 24). Et multae quidem facto martyrio ad beatum exitum pervenerunt. Aliae autem per sanctas exercitationes et carnis tentationes coronatae fuerunt, ac porro coronantur.

15. Quare et in alio loco filias Judae exsultare[1]), dicit; de sanctissima igitur Matre Domini nostri Jesu Christi hoc etiam dictum est, quia ipsa nempe ad Sancta Sanctorum itura erat filiabus Judae stipata. Nondum enim mulieres viderant puellulam in templo fuisse enutritam, atque adeo cum nova ac praeter opinionem res perageretur, filiae Judaeae secundum prophetae vocem exsultaverunt, cum Mariam puellulam sanctissimam, veluti immaculatam columbam, ad Sancta Sanctorum euntem intuerentur, et parentes ejus Joachimum et Annam ineffabili gaudio ipsam pro munere offerentes, et praeter omnium exspectationem summum sacerdotem os aperientem, atque ei bene precantem, reliquos autem sacerdotes altisona voce cum senioribus et universo populo clamantes et dicentes: *Fiat, fiat, amen, fiat.* Dum itaque haec ita, ut dixi, peragerentur, *Judae filiae* secundum prophetae oraculum *exsultaverunt*, utique triumphales hymnos

---

1) Ps. 47. 12. Quod *filias Judaeae* potius quam *filias Judae* Joannes posuerit, in causa est Vers. LXX, quae hic legit: ἀγαλλιάσθωσαν αἱ θυγατέρες τῆς Ιουδαίας. Et Ps. 96, 8.: ἠγαλλιάσαντο αἱ θυγατέρες τῆς Ιουδαίας. B.

concinentes [1]): Exsultate et gaudio jubilate, Judaeae filiae, neque vos solum, sed universae patriae gentium. Nata est enim Maria, nec amplius pudore Eva suffunditur. Maria ad templum adducitur, et nova puella novum templum, templum scilicet Dei capax consurgit; neque vero proles ista davidica constituetur tantummodo Dei templum, sed et thronus cherubicus: judaeorum autem templum destruetur; quemadmodum revera et in Evangelio Dominus pronunciat: *Amen dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur* (Matth. 24, 2). Semper enim et ubique idem mulierum genus: sive futura portendat, sive regem laudibus efferat, sive contra vituperet et contumeliose excipiat; nihil cum iis, utpote infirmioris pavidique sexus, expostules. Ecce enim mihi virgines, quae Saulis tempore, regis iram nihil veritae, clamant (1. Reg. 18, 7) de ipso Saule in millibus, de Davide autem in decem millibus.

---

1) Quae infra sequntur usque dum ad sententiam confirmandam testimonium ex Matthaei Evangelio petitur, videntur accipi posse tamquam a choro virginum Deiparam comitantium prolata. Certe et heic et in sequentibus orationis nexus paulo obscurior videri potest. B.

16. Vere *laetatus est mons Sion, et exsultaverunt filiae Judaeae* (Psal. 47, 12). Quando, inquit? Hoc ipso tempore, quando Dei templum oblatum Deo est in templo; quando immaculata puellula inaudito exemplo in Sancta Sanctorum propero pergens gradu contendit, ut inibi sedem defigat. Tunc virgines laetitia gestientes simul cum angelis spiritale agebant tripudium. Quomodo? prorsus *in laetitia et exsultatione* in templum regis adducendae. Quo, et quorsum, et ad quem? Videlicet ad immaculatam[1]), ad virginem Mariam. Ipsa enim magni regis est templum. Et quoniam virgines, utpote impollutas, ad sui decus et gloriam ipsa regina in templum regis erat adductura, propterea clamabat prophtea inquiens: *Adducentur virgines post eam* (Ps, 44, 14). Tunc adductae sunt; sed et aliae rursus virgines adducendae erant, cum ex ipsa (Ps. 18, 6) *sponsus processisset* in gloria sua.

Videte, videte, o Rubenis posteri et filii ejus: Josephus quidem, quem vos per invidiam[2]) in Aegypto vendidistis, regnum op-

---

1) Vide usu receptum, ut κατ' ἐξοχήν Deipara appellaretur *immaculata*. B.

2) Auctor hoc in loco lapsus memoria videtur. Nam ut legimus in libro Geneseos (Cap. 37, v,

portune nactus, non modo acceptae patrum vestrorum improbitate injuriae memoriam delevit, sed praeterea fame consumptos aluit; at sol justitiae ortus ex Juda, rex aeternus, *Deus glorificatus in consilio sanctorum* (Ps. 88, 8), *magnus et terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt; ipse Dominus, fortis et potens, Dominus potens in praelio* (Ps. 23, 8), ipse rerum opifex e terra vetustate corrupta novum coelum ac thronum incombustibilem creavit, ac limum inveteratum in thalamum coelestem commutavit. *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra, cantate Domino, benedicite nomini ejus* (Ps. 95, 1. 2); quia virgo puella ad templum adducitur, ut in ipsa is inhabitet, qui templum sanctificat, neque tamen in ea inhabitans uterum ejusdem comburat. Sed quemadmodum tempore Moysis rubum igne irroravit, sic etiam tabernaculum in hac Deus defigens, salutem mundo afferet.

17. Hae sunt laudes, haec exsultantium filiarum Judaeae sunt cantica. *Cantate, et exsultate, et psallite* (Ps. 97, 5). Ecce enim

---

29), Ruben haud particeps fuit iniqui illius adversus Josephum consilii. B.

devictus est diabolus, qui naturam nostram tyrannide sua premebat. Ecce solium cherubico mirabilius [1]) in terra paratur (virgo), de qua scriptum est: *Deus in medio ejus et non commovebitur* (Ps. 45, 6). Ipsa enim solium, et sedes, et domicilium Emmanuelis et summi regis Christi.

Ecce sine manibus hominum [2]) construitur

---

1) Heic rursus per aliam imaginem nobis significatur, quid ea aetate de conceptione Deiparae ratum exploratumque esset. Primo enim Deipara cherubico solio comparatur; cujus quidem comparationis ratio perspicua est, cum saepius in prophetis Deus describatur sedens super cherubim (Psal. 89, 2; 98, 1; Is. 37, 16; Ezech. 10, 1, seq.; Dan. 3, 55). Deinde vero comparatio ita instituitur, ut Virgo beata non quidem cherubim aequiparetur, sed throno cherubico longe dignior ac praestantior thronus exhibeatur. Ergo nisi affirmare quis velit, thronum peccati inquinamento sordidum throno cherubico praestantiorem esse ac digniorem, in quo Deus sedeat, fateatur oportet ab ipsa Virginis conceptione quodvis peccati inquinamentum longe abfuisse. Cur hoc? quia scilicet in ipsa Virginis conceptione thronus ille praestantissimus divinae majestati dicitur instructus ac praeparatus.

2) Animadversione dignissimus est hic locus, tum quia eandem de Virginis conceptione fidem prodit, tum vero multo magis, quia occurrit cavillis illorum, qui, ubi haec controversia agitur, vel meridianos solis radios uti tenebras habent, tenebras proclamant. Dixi eandem de conceptione Virginis fidem heic proponi;

palatium coelestis regis, et hoc palatium in Eden ad orientem portam habet et nemo per

---

nam Virgo comparatur coelestis Regis palatio, cujus magnificentia cogitationem omnem excedat, atque mentes ipsas angelicas in stuporem rapiat. At vero eritne, qui ejusmodi palatium Deo dignissimum in homine peccati sordibus foedo demiretur? Ergo vel negandum erit id, quod tenebat Ecclesia, hoc palatium tunc constructum fuisse, quando concipiebatur Maria; vel fatendum est nullas peccati sordes in Deiparae conceptione locum habuisse. — At occurritur heic praeterea morosorum cavillis. Nam hinc quidem certissimum est agi de Deiparae conceptione; inde vero disertissime affirmatur, palatium non fuisse constructum manibus hominum; sed (ut paulo infra dicitur) *solus Deus illud condidit, quemadmodum et solus inhabitavit.* Atqui hoc de Virginis corpusculo dici non potest, tum quia Christi Domini Dei nostri privilegium fuit, ut sine humano opere conciperetur, tum quia Auctor noster hoc discrimen Evam inter ac Deiparam ipse statuit (infr. § 21), quod Eva quidem manu Dei aedificata fuerit, Maria vero ab Joachimo et Anna foerit progenita. Ergo haec de beatissima Deiparae anima necessario sunt intelligenda. Ergo constructio palatii nihil est aliud, nisi animae creatio atque in corpusculum infusio. Atqui per hanc constructionem dicitur productum opus Dei dignissimum, et supernis ipsis virtutibus maxime admirandum. Ergo vel negandum id est, quod auctor facto ipso prodit, in Ecclesia nempe haec dici de Virginis conceptione consuevisse; vel concedendum est, Ecclesiae fidem hanc fuisse, Mariae animam in gratia fuisse creatam, atque adeo ad Mariam transfe-

eam portam ingredietur, nisi solus Dominus Deus; et erit porta clausa (Ez. 44, 1). Palatium prorsus admirandum, adeo ut ipsae quoque coelorum virtutes illud demirentur. Atque omnem sane cogitationem opus superexcedit. Palatium enim istud sine ullius humani architecti opera exaedificatum, coelis sublimius et creatura omni latius ostensum est, et nemo in ipso praeterquam architectus ille, et opifex et coelestium rerum omnium ac terrestrium Creator habitabit. Ecquis tandem iste est, quod solus condiderit, et solus inhabitaverit? Nunquam auditum hoc est, quod porta mirabilis illius domus nemini alii unquam aperietur. Quis iste est rex? non habet exercitum et exercitus duces? non habet satellites, qui cum timore et tremore adstantes officium explent? non habet regios praefectos? habet sane, omnis quippe crea-

---

rendum esse quod Augustinus de angelis pronunciavit (*de Civit. Dei*, lib. XII, cap. IX): „Eos cum bona voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhaererent, creavit, simul in eis et condens naturam, et largiens gratiam;“ gratiam vero (quod ad Deiparam spectat) non qualemcunque, sed quae par esset magnificentissimo operi aedificando: quod et cordatissimi theologi in scholis docere consueverunt, gratiam Virgini in ipsa ejus creatione collatam ejusmodi fuisse, cui nulla alia comparari possit. B.

tura ipsius est; *millia millium adstant ei in coelis, et decies centena millia ipsi ministrant* (Dan. 7, 10).

18. Haec ita se habent quoad modum, quo Dei genitrix Maria in Sanctis Sanctorum conversabatur, et quo omni justitia (ceterarum creaturarum) sublimior ostensa est.

O judaeorum duritiem! O eorundem amentiam! Sed o haereticorum quoque blasphemiam! O ipsorum quoque corda obcoecata! Quippe qui contentione et aemulatione impingentes, tamquam testa in lebetem, nihil distant a judaeorum pervicacia. Ipsi enim colliduntur, et ipsi conteruntur. An non erant ex illis prophetae? Etiam nunc confitentur (judaei), prophetas ex ipsorum ortos propagine fuisse; at oraculis eorum cedere abnuunt increduli. Quandonam igitur per omnium generationum decursum viderunt puellulam in Sanctis Sanctorum innutritam? vel rursus, ubinam viderunt virginem post partum? Nonne, cum Dominus declaratus est summus sacerdos, propriis manibus ex ipsis quidam scribentes confessi sunt, sanctam Mariam fuisse virginem[1])? Cum enim quidam

---

1) Haec quae sequitur narratio ex spurio aliquo fonte hausta videtur.

ex ipsis Dominum decernerent summum sacerdotem (ut impleretur sermo qui scriptus est: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* (Ps. 109, 4), propterea quod ipse *proficiebat sapientia coram Deo et hominibus* (Luc. 2, 52), et Maria sancta Dei Mater erat ex stirpe regia et sacerdotali, proinde secundum morem ipsis faciebant. Proinde adstantibus sacerdotibus interrogaverunt patrem et matrem, et scripserunt eorum nomina in censu sacerdotii; et interrogarunt sanctam Dei Matrem dicentes: Estne filius tuus Jesus? Maria vero respondit: Utique. Ipsi autem addiderunt: Ecquisnam est pater ejus: Respondit purissima: In terra quidem non habet patrem; ego ipsum genui ut novit ipse. Deus enim est pater ejus. Illi vero dixerunt: Scribemusne in elencho codicis, quod ipse sit Filius Dei? Atque ipsa reposuit: (Sic) scribite. Et sic superius declaratum est, implementum accepit Scriptura inquiens: *Tu (es) sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Et sane cum Dominus rediisset e deserto (Luc. 4, 16), *venit in Nazareth, ubi fuerat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiae pro-*

phetae, et ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me (Is. 61, 1). Et cetera.

Hic itaque liber apud ipsos asservatur usque ad hodiernam diem; et in secundo ejus adventu, idem liber legetur ad judaeorum confusionem. Etenim neque prophetis ipsi crediderunt, neque ipsum Dominum audierunt; verum ex ipsis scripturis sacerdotum suorum manu exaratis convincentur. Ipsi enim perpetuo et decipientes et decepti, veritatem quidem proclamant esse errorem; errorem autem (quasi veritatem) amplectuntur, cum quo etiam in supplicium sempiternum abibunt. Ad eos namque dixit Dominus: *Ego veni in nomine Patris mei, et non recipitis me: si vero alius venerit in nomine suo, illum recipietis* (Joan. 5, 43).

19. Sed repones mihi, o judaee: quomodo homo est Filius Dei et Deus? Audi. Quandoquidem Deus hominem creavit ad imaginem et similitudinem suam, hunc diabolus fraude subvertens morti subjecit. Propterea primo quidem (Deus) misit prophetas, qui adventum suum praenunciarent. Ubi autem venit plenitudo temporum, misit unigenitum ac

dilectum Filium suum, qui carnem Adami induit, ut eum, qui per voluntatem carnis in tyrannidem suam redegerat naturam, per carnem everteret, et diabolum hominis interfectorem interficeret.

Quemadmodum enim rex postquam in regionem quampiam vel urbem expeditionem jusserit, siquidem illi, qui missi sunt, hostem debellare non potuerint, tunc ipse habitu incolentium illam regionem assumpto, ad hostem delendum proficiscitur, hostis vero dum huic quoque se praevaliturum praefidit, in fortiorem incurrens, ipse capitur: sic prorsus ei accidit, qui cervicem erexerat seque in medio coelo solium suum locare, atque super mundanam, ut putabat, conditionem sublimari gloriabatur. Sic enim hic e coelo (dein) lapsus ut fulgur (Luc. 10, 18), impudens (tunc) ajebat: Si hoc obtinuero, *similis ero Altissimo* (Is. 14, 14). Quippe tamquam potens, ut sibi videbatur, se extulit jactabundus. Salvator itaque, ut emortuas redderet exitiales ejus fraudes, ipsumque velut esca alliceret, tamquam draconem sanguinis appetentem divino hamo captum perimit[1]).

---

1) Cf. ad haec illustranda aliorum patrum effata *opusc.* XI, 209. annot.

Ita Dei consilium machinamenta illius tamquam telam araneae dissipavit.

Hujus sane artes cum bene perspectas haberet David, nunquam cessabat interdiu noctuque exorare, quasi gerens personam omnium, preces supplicationesque ad Deum intendens, ac dicens: *Domine, inclina coelos tuos et descende* (Ps. 143, 5). Et rursus: *Excita, Domine, potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos* (Ps. 79, 3). Et rursus: *Domine, opera manum tuarum ne despicias* (Ps, 137, 8).

20. Suo igitur consilio, *quod in seculum permanet*, et *cogitationibus cordis sui, quae in generationem et generationem perseverant* (Ps. 32, 11), nequaquam (Deus) *oblitus est pauperum suorum* (Ps. 10, 12), sed recordatus *est miserationum suarum et misericordiae suae, quae a seculo est* (Ps. 24, 6), *et elegit tribum Judae* (Ps. 77, 68), ut erigeret solium Davidis servi sui. Etenim vel antequam lex daretur atque prophetae praedicarent, Judas ex crudeli morte Josephum liberavit, et benefacti sui immensam hanc retributionem reportavit, ut ex semine ejus Joachimus et Anna, *plantati in domo Domini, in atriis Dei* (Ps. 91, 14), omni laude dignissimam et

sanctam Dei Matrem ceu florem emitterent. Exsultate igitur, Joachime et Anna, *et confitemini memoriae sanctitatis ejus* (Psal. 29, 5).

Audivit enim et laetata est Sion, et exsultaverunt filiae Judaeae (Ps. 96, 8. sec. LXX), propterea quod Judas undecim tribubus praevaluit, et nemo e reliquis fratribus benedictus est quemadmodum hic, qui nostram salutem germinavit. Et sane reliquorum appellationes transierunt in Judam; neque ab alia tribu nomen habent vel rubenitae, vel benjamitae, vel issacharitae, vel zabulonitae, nec secundum aliam tribum computantur, sed appellantur judaei. O pessimum genus! o progeniem pravam atque perversam! o stupiditatem, et corda velamine obvoluta! Omnium tribuum ipsorum nomina in Judam desierunt (omnes enim appellantur judaei), et tamen in Dominum e Juda exortum non crediderunt. Quin et ipse Salvator testimonio suo sermonem confirmat, dicens: *Quia salus ex judaeis est* (Joan. 4, 22), quae salus *ego ipse sum, qui loquor tecum* (Joan. 4, 26), prout dixit Dominus ad mulierem samaritanam.

21. Ceterum jam tempus est inchoandae laetitiae, et congratulandi justis omni-

bus ab Adamo usque ad Zachariam, *quem inter templum et altare occiderunt* (Matth. 23, 35).

Exsulta itaque, o Adam, propter Mariam Dei matrem. Quoniam per mulierem a serpente deceptus fuisti, et per mulierem serpentem conculcabis. Venit enim tempus, ut *sagittae potentis acutae* (Ps. 119, 4) ex eadem illa natura proveniant, unde inimicus nocendi sumpsit instrumenta. Lignum etenim et mulier origo fuerunt in paradiso tui exsilii; nunc autem lignum et mulier tibi sunt restitutio. Mulier quidem manu Dei aedificata te decepit; at mulier e lumbis Joachim et Annae utero progenita, sine semine gignet mortis victorem debellatoremque illius, qui nos captivos abduxit. Et lignum quidem bonum ad vescendum et pulchrum oculis aspectuque delectabile (Gen. 3, 6) nobis mortem attulit; lignum autem aridum et infructuosum tum draconem perimet, tum terrigenis universis aeternam vitam conciliabit.

Tu quoque mater matrum, Eva, gaude; quoniam filii tui non amplius ad corruptionem nascentur, sed incorruptione potientur. Vos etiam, Abel et Seth, in cantica erumpite, quoniam Altissimus tabernaculum suum prae-

parat, et venit ad benedicendum terrae, cui maledixerat. Et tu, Noe, hilaritatem explica, quoniam adest Dominus: congrega dispersos filios tuos, ut eum adorent, qui vos in diluvio servavit. *Deus* enim, *ultionum Dominus* (Ps. 47, 12), Adamum indutus, in terras advenit, ut Adamum ipsum renovet, vinctosque omnes ex inferis educat. Abraham, et Isaac et Jacob cum legislatore Moyse atque prophetis omnibus, utrique exsultate, libros vestros evolvite, quoniam adest jam exspectatio vestra.

Hae sunt exsultationes filiarum Judaeae, quoniam justi Joachim et Anna plane immaculatam Dei matrem in Sancta Sanctorum detulerunt. *Laetatus est enim mons Sion, et exsultaverunt filiae Judae propter judicia tua, Domine* (Ps. 93, 1). Virgines enim, quae simul post sanctam Virginem Mariam Dei matrem incedebant, nihil, quod inclamarent, habebant aut alienum aut indecorum, sed spiritualia dumtaxat ac Deo placentia, quae Spiritus sanctus in ea hora (ipsis) donabat. Ecquid enim aliis vocibus opus iis erat, quam ut ratione prorsus convenienti Reginam collaudarent, et Regi seculorum ex ipsa sine semine nascituro triumphales hymnos alta clamantes voce cane-

rent, *prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis* (Act. 2, 4)?

22. Et nos igitur, dilectissimi, mente volventes illud prophetae oraculum, quo inquit: *Age, o Juda, solemnitates tuas; ascendit enim qui afflat in faciem tuam, te e tribulatione eripiens*, omnes spiritali laetitia gestientes Dei Genitricis Mariae sacra solemnia celebremus. Ipsa enim ex Juda est, et Dominus ex ea secundum carnem.

Quocirca inter divinos solemnesque dies, Deiparae quoque, quae spes est omnium nostrum, merito festa celebranda sunt. Ideoque extra decem solemnitatum numerum, vivificam quoque illius dormitionem celebramus. Quod quidem venerandae illius dormitionis festum agimus et nos post ascensum Domini nostri Jesu Christi in coelum et descensum sanctissimi et vivificantis Spiritus in beatos apostolos, quod postremum magnumque festum appellatur, tamquam quod fuerit bonitatis Domini et divinae dispensationis omnisque justitiae complementum.

Quas vero superius commemoravimus, celebritates agimus secundum veteris et novi testamenti decalogum. Tres enim sunt decalogorum series, quas a sanctissima, consubstantiali, vivificante atque adoranda Trini-

tate edocti sumus. Prima continetur in lege, *Diliges Dominum Deum tuum*, et cetera. Et in novo deinde testamento *beatitudines* et ipsae sunt decem, similiter et *Pater noster* decem complectitur sermones[1]). Has itaque decem solemnitates festiva cum laetitia agimus.

23. Ac primam quidem, licet ea non ab omnibus agnoscatur[2]), in qua beati Joachimus et Anna generationis Mariae semper

---

1) Quod decem sint sermones *orationis dominicae*, non unius Joannis euboeensis fuit singularis sententia. Id ipsum enim legimus apud s. Sophronium hierosolymitanum in *praefatione ad Miracula ss. Cyri et Joannis* (Mai *Spicil. rom.* tom. 3 pag. 14): Ἐντολαὶ δὲ δέκα θεόγραπτοι ταῖς πλαξὶν τῆς διαθήκης ἐνήστραπτον· δέκα δὲ καὶ ὁ Κύριος τὰ τῆς εὐχῆς παραδέδωκε ῥήματα· *mandata etiam decem a Deo in Testamenti tabulis fulserunt. Decem etiam Dominus orationis tradidit verba.* B.

2) Hinc apparet, Joannis nostri aetate nondum universim ac ubique per ecclesias invaluisse morem Deiparae conceptionem solemni festo celebrandi, quemadmodum etiam de festo dormitionis ejusdem Deiparae affirmat Joannes thessalonicensis in *oratione*, quam penes me ineditam servo. Neque id mirum accidit consideranti, non Deiparae modo, sed etiam Salvatoris ac Domini nostri solemnia paulatim per ecclesias recipi consuevisse, idque tum vetustioribus tum recentioribus aetatibus usuvenisse ac porro usuvenire. B.

Virginis ac Dei matris nuncium acceperunt, die nono mensis Decembris celebramus.

Atque attente adverte, dilectissime, non praeter fidem esse ac inane, quod apud nos scripto traditur. Si enim ecclesiarum dedicationes merito celebrantur; quanto magis citra ullam comparationis rationem debemus cum studio et pietate, ac Dei timore hanc peragere solemnitatem? in qua[1]) non ex lapidibus jacta sunt fundamenta, neque manibus hominum Dei templum exaedificatum est: videlicet in utero concepta est Deipara ac sancta Maria, sed Dei Patris beneplacito et cooperatione sanctissimi ac vivificantis Spiritus, Christus Dei Filius, qui lapis est angularis, ipse eam aedificavit, et ipse in ea

---

1) Patet hic *ex professo* tradi rationem solemnitatis celebrandae. Atqui haec ratio nulla est alia quam Deiparae conceptio, conceptio autem non qualiscumque, sed ejusmodi, ut Mariam ipse Dei Filius ex beneplacito Dei Patris et cooperatione Dei Spiritus sanctissimi et vivificantis aedificaverit. Ad quam aedificationem propterea pertinet quod in suis precibus habet Ecclesia: „Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosae Virginis Matris Mariae corpus et animam ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretura, Spiritu Sancto cooperante praeparasti.“ Et reipsa *praeparationis* nomine plus semel in hac ipsa oratione indicatam Virginis Conceptionem vidimus. B.

inhabitavit, ut legem ac prophetas, cum ad salvandos nos veniret, impleret. Ipsi gloria et honor et adoratio una cum aeterno Patre, et cum sanctissimo ac vivificante Spiritu nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI

GERMANI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI

IN INGRESSUM

SANCTISSIMAE DEIPARAE

SERMO.[1]

1. Cunctae quidem, quotiescunque celebrantur, sacrosanctae solemnitates, eos, qui

---

1) Tres sunt, qui eodem Germani nomine appellati constantinopolitanam olim sedem obtinuerunt: celeberrimus alter et omnium antiquissimus ab. a. 715—729.: quo loco cedere maluit, quam impiis Leonis Isauri consiliis adversus ss. imagines morem gerere. Hic dicitur in actis concilii oecumenici VII. act. 6. (Mig. 129, 448.) „in sacris literis enutritus, et ut Samuel ab infantia Deo deputatus atque sanctis patribus consimilis comprobatus.“ Alter ab a. 1222—1240. ea dignitate potitus est. Cum eo de componendis controversiis, quae a catholica Ecclesia graecos dividebant, sub Gregorio IX. actum est. Tertius denique post expulsum Arsenium d. 5. jun. a. 1267. ad byzantinam sedem ex hadrianopolitana translatus eodem anno d. 15. sept. episcopatu abdicato, se in suburbanas a se aedificatas cellas rece-

ad sacra convenerint, e thesauris (coelestibus) ac fontibus a Deo fluentibus spiritali perfundunt voluptate. Verum quae modo praeconiis celebranda est, pro principe loco, quem tenet, splendidior illucescit, et majori prae ceteris oblectatione animos exhilarat, quanto scilicet super omnes attollitur atque omnibus Dei filia principatur. Anniversaria enim recurrit sanctissima ejus convivalis laetitia; cujus epuli quisquis particeps esse velit, omni nequitia purus sit oportet.

Si itaque vobis placet, alacri animo, mente purissima, et nitentissimis stolis amicti me sequimini. Pergamus simul ad exoptatissi-

---

pit. Horum vero trium nemo est, quem homiliae hujus (aliarumque, quae sub Germani nomine circumferuntur) auctorem criticae artis studiosi non fecerint. Porro Antonius Ballerini in egregia sua *sylloge monumentorum* ad mysterium conceptionis immaculatae Virginis Deiparae illustrandum disquisitione critica diligenter instituta argumentis et internis et externis evincit, eam esse Germani *senioris*. Doctissimi hujus editoris secuti sumus versionem; plerasque etiam annotationes, cum sint eruditae atque admodum utiles, retinuimus (litera B. notatas). Orationis argumentum est praesentatio b. Mariae V. in templo, cum esset puella trium annorum. Hujus facti memoria in Ecclesia graeca quotannis festiva recolebatur solemnitate pluresque adhuc supersunt patrum de hoc festo sermones.

mos flores ex ipsomet Dei Matris prato decerpendos. Odoremus ejus pulchritudinem instar rosae e folliculis plenam odoramentorum erumpentem, quemadmodum in Canticis Salomon egregie cecinit, inquiens: *Quae est ista, quae ascendit e deserto, sicut virgula fumi suffita myrrha et thure, ex omnibus pulveribus unguentarii*[1]*? Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano* (Cant. 4, 8).

Alacriter igitur simul abeamus, adhortantes invicem ad Dei genitricis solemnitatem omnibus communiter utilem ac salutarem agendam; et penetralia sacra introspicientes, intueamur puellam ad secundum velum[2] contendentem, intueamur, inquam, Mariam integerrimam Virginem et Dei matrem, quae infecundae finem imposuit sterilitati, ac legalis literae umbram gratia sui partus abegit.

---

1) Cant. 3, 6. En Patribus usitatum, ut de Deipara interpretentur ea, quae in *Canticis* de sponsa dicuntur. B.

2) Auditoribus velut ob oculos heic ponitur sacrum Hierosolymorum templum, ubi mysterium peractum perhibetur. Primum velum erat, quo sejungebatur ab atrio locus solis sacerdotibus pervius; alterum autem velum a loco sacerdotum dividebat Sancta Sanctorum, quo summo tantum pontifici semel in anno patebat ingressus. B.

2. Hodie enim trimula legali dedicanda templo ea progreditur, quae sola impollutum augustissimumque pontificis ac sacerdotum omnium principis Domini templum fuit, quaeque fulgore suo splendoreque divinitus micante circumfusam literae caliginem disjecit. Hodie redditur sacerdoti infans, quae solum illum magnum Pontificem Deum, infantem propter nos secundum carnem factum, quadraginta dies natum oblatura est, ulnis suis praeter omne hominum cogitatum amplectens eum, qui nullibi contineri potest. Hodie novissimus aeque ac purissimus, et nulla sorde inquinatus codex, non hominis manu conscribendus, sed spiritu inaurandus, benedictionibus secundum legem consecratur, et ceu donum in gratiarum actiones offertur. Hodie deterso infecunditatis opprobrio, Joachim palam per vias prolem suam ostendens maxime gloriabundus prodit, et legalium observationum studiosum denuo se cultorem probat[1]).

Hodie Anna diuturnam sterilitatem felici partu compensans, immenso gaudio gestiens, eamque pectori adprimens, quae coelis latior

---

1) Cf. supra orationem Joannis euboeensis n. 5. ss. et 13. cum annot. subjecta.

apparuit, finibus terrae se fructu potitam esse annunciat. Hodie patefacta divini templi porta obsignatam illam et ad orientem versam (Ezech. 44, 1. s.) Emmanuelis portam ingredientem excipit. Hodie sacra templi mensa participatione et amplexu dulcissimo divinae illius mensae, quae coelestem atque animas nutrientem fert panem, ad incruenta sacrificia gradum movens, incipit splendescere. Hodie in propitiatorio ea reponitur, quae sola mortalibus, inundatione peccatorum in transversum actis[1]), novum Deoque simillimum, et emundandi virtute praeditum, et haudquaquam manibus hominum constructum[2]), propitiatorium evasit.

---

1) Proponuntur ob oculos a s. Germano hinc quidem mortales universi peccato perditi, inde vero Virgo Deipara non modo ab iis segregata, verum etiam tamquam novum, Deo simillimum, non manufactum propitiatorium miseris illis expiandis. At vero perspicuum plane est, hanc imaginem, quae apud patres passim occurrit, e diametro repugnare hypothesi, quae b. Virginem communi omnium damnationi ac peccato subjectam fuisse fingat. B. Cf. nostrum *compendium theol. dogm.* II. n. 454.

2) Ecce Germanus vocem suam illis conjungit, qui ita Deiparam celebrant tamquam Dei templum, domum, tabernaculum, arcam etc., ut addant insuper, eam opus esse *non manufactum*; quod quidem ita ad originem ejusdem Virginis pertinet, ut in ipsa

Hodie (puella) illa, quae Sancti Sanctorum domicilium futura est, innocente ac simplici aetate per sanctificationem Spiritus praecellentius consecrata, prorsus mirabiliter super gloriam cherubinorum elevata, in Sanctis Sanctorum sanctissime et gloriose collocatur.

3. Hodie ad promendas laudes Maria nos provocat; cujus encomia utut in immensum quispiam congerat, nedum metam queat attingere, ne a longe quidem ad verum accessurus est; quippe cujus pulchritudo et sermonem omnem et omnem cogitationem infinito intervallo praetergreditur. Nam gutta illa coelestis, quae ab ea manavit[1]), ad instar immensi pelagi magnalia ipsius esse palam fecit. Quocirca hujus quidem gratia et incomprehensibiles propter ipsarum infinitatem factae sunt ejus divitiae, nec deliciae, quae ab ipsa profluunt, exhauriri ullo modo possunt. Prorsus enim in ceteris omnibus satiari contingit: in hujus vero laudibus et canticis nusquam prae suavitate epu-

---

sui creatione ceu magnificentissimum Dei opus spectari debeat. B. Cf. *opusc.* t. XII, 216. annot., et *compendium theol. dogm.* II. n. 453.

1) *Gutta illa coelestis, quae ab ea manavit* i. e. Christus. Habes hic specimen sublimissimae illius ideae, quam de Deipara patres mente gesserunt.

lum satietatem parit. Hinc et indeficientia sunt, quae ab ipsa proficiscuntur, laudandi argumenta; et quoniam uberrimus fons est, neque hauriendo imminuitur, sed quo plus inde hauritur, centies aut millies magis redundat; ideo fieri non potest, ut hauriendo finis aliquis fiat. Nam in effusissima liberalitate sua mysterium supra modum exuberat, et exuberantia sua mentes, nedum corporibus immersas, incorporeorum quoque supergreditur. Tanta est beatissima illa ac purissima puella!

4. Et hanc quidem sui ipsius parentes tertio jam expleto anno Deo offerunt. Ternarius porro numerus quam eximius, quam ingenti honore dignus, et prorsus ad quamlibet demum veritatem confirmandam efficax[1])! Tres

---

1) Commune est s. Germano cum aliis, ut convenienter *triennem* Virginem Deo oblatam ostendant. Heic tamen scite advertendum est, quod sapienter monet Benedictus XIV. (*De festis*, lib. 2, cap. 14), non aeque certa rei adjuncta, ac res ipsa nempe praesentatio sit, haberi posse. Sed et rursus heic cavendum, ne dum quaedam adjuncta idoneis ad plenam fidem faciendam testimoniis haud satis fulciri nobis videntur, id ipsum imprudenter ad sententias transferamus, quibus ea occasione Virginis Deiparae praerogativas patres efferunt. Quod enim adeo sublimia de Virgine sentirent, nequaquam ex hisce nar-

David sumpsit lapides [1]), ut funda scelestum Goliath prosterneret. Ter apparatu per circuitum instructo Elias Thesbites ad credendum disponit [2]), ubi coelestis ignis, in aqua ardentis, flamma superveniat. Totidem diebus Jonas visceribus natantis monstri perlatus [3]), Dei, qui magnum cetos direxit, symbolum gerit. Hoc numero erant pueri, qui fornacis ignem calcantes ac coelesti rore recreati, alacriter obambulabant (Dan. 3, 23.

---

rationibus profectum est; sed contra ideo quaedam narrationis adjuncta facilius videbuntur admisisse, quod aliunde de Deipara sentirent magnificentissime. B.

1) Vitiato forte codice usus est s. Germanus. Nam graeca versio LXX non secus ac Vulgata latina, et hebraica veritas, affirmat (1. Reg. 17, 40), *quinque*, non autem *tres*, fuisse lapides limpidissimos, quos David pugnaturus de torrente elegit. B.

2) 3. Reg. 18, 34: *Et ait: Implete quatuor hydrias aqua, et fundite super holocaustum, et super ligna. Rursumque dixit: Etiam secundo hoc facite. Qui cum fecissent secundo, ait: Etiam tertio idipsum facite. Feceruntque tertio.* B.

3) Joan. 2, 1: *Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus.* Porro cum (Matth. 12, 40) legamus in Evangelio: *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis etc.;* huc etiam pertrahi posset, quod Germanus addit, Jonam fuisse Dei, scilicet Christi, typum; et sic illa τοῦ τὸ μέγα κῆτος Θεοῦ

24). Tertia decem annorum periodo exacta, Dominus meus Jesus a trangressionis sorde me eluit[1]); et similiter per tres annos circumeundo, omnem morbum atque omnem sanat languorem. Tribus item discipulis gloriae suae in monte manifestationem (Matth. 17, 1) arcano mysterio exhibiturus ascendit. Tertia quoque recurrente die animas in inferorum tenebris a seculo detentas liberat. Quid plura? Vide, quaeso, ternarium numerum et in summo rerum omnium apice. Nam causa rerum omnium et mysteriorum omnium fons, Divinitas videlicet tribus sanctificationibus[2]) in tribus characteribus[3]) seu

---

χειρισαμένου intelligi possent de victoria, quam Christus de diabolo retulit. B.

1) Scilicet baptismum Joannis recipiens, aquas, quibus nos abluceremur, sanctificavit. Luc. 3, 21—23.

2) Ἁγιασμόν, *sanctificationem*, intellige heic laudem, qua Deus celebratur *Sanctus*, tertio repetitam. Hujusmodi laus, quae ab antiquissimis temporibus in ipsa sacra liturgia Deo defertur, appellari consuevit etiam *hymnus angelicus*, quia sic Deum laudantes seraphim audiverat Isaias (Is. 6, 3): *Et clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.* B.

3) Suidas in suo Lexico: Ὑπόστασις κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν καὶ ἀποστολικὴν παράδοσιν, τὸ πρόσωπον ἤγουν ὁ χαρακτὴρ, ὡς φησιν Ἀπόστολος. *Se-*

tribus hypostasibus (quandoquidem idem prorsus de tribus personis propter omnimodam substantiae unitatem profiteri necesse est), tamquam perfecto numero in unitate confusionis et mixtionis experte, celebrari voluit, neque defectu ac subtractione dehonoranda, neque rursus ultra hunc numerum excurrendo in pluribus fingenda principiis, ut inquit divinarum rerum peritissimus et egregius theologus Gregorius [1]).

Quandoquidem igitur ipsius sanctissimae ac sempiternae Trinitatis altera persona (Filius) cum Patris beneplacito, tum propria electione et sanctissimi Spiritus obumbratione in puellae hujus Virginis Matris utero includi festinabat: idcirco congruum sane erat, ipsam quoque hoc (mystici) numeri decore glorificatam honorificentissime dedicari; triennis propterea, certa ac definita ratione haec omnia disponente ejusdem conditore pariter ac Filio, in templum adducitur.

5. Cum itaque ablactata fuisset haec vitae

---

cundum ecclesiasticum et apostolicam traditionem, hypostasis est persona, idest character, ut dicit Apostolus. B.

1) Ad haec illustranda cf. Ambrosium *de fide* l. 2. n. 107. *opusc.* XXX. et quae annotavimus *opusc.* XVI, 178.

nostrae altrix, parentes ejus id, quod accedente voto praestituerant, perficiunt. Cum enim, inquit[1]), circumcirca e vicinia virgines congregassent, effecerunt, ut hae quidem, sumptis facibus, praeirent, ipsa vero omnium postrema subsequeretur; quo scilicet facularum ardentium fulgoribus oblectata, incederet haud retrospiciens.

Illa vero sterilis olim et infecunda Anna omnia sua Deo committens, magna voce palam exclamabat: Adeste, inquiens, congaudete mihi majorem in modum quaecunque et quicunque mihi parienti affuistis; jam enim viscerum meorum fructum ceu donum, divino fulgens splendore et sanctificatum, Domino consecro. Adeste, o chori principes, et jucunde exsultantes, simul cum canentium coetu ac puellis tympana pulsantibus novum modo canticum, non quidem praeeunte Maria sorore Moysis, sed duce filia ex me genita, modulantes praecinite.

Vos etiam, quotquot estis et propinqui et extranei, adeste mihi felicem nactae prolem; dumque in gratiarum actionem summo pie-

1) *Inquit* pia scil. legenda ita penes orientales vulgata, ut tamquam omnibus passim nota citaretur. Cf. *Protoevangelium* Jacobi (de quo supra egimus) c. 7.

tatis studio partus mei fructum sacro templo reddo, attollite vocem, divinitus inspirata carmina cantantes. Huc age et prophetarum divinitus actorum coetus, et chorum electum splendidis laudibus per Dei spiritum infusis instruentes, hymnum instaurate. Ubi enim sermo propheticae vocis personans aures pulsat, ibi omnis adversantium maledicentia enervata concidit.

6. Verum tu maxime huc ades, o David, puellae simul et Dei progenitor, ac lyricam suavissime citharam pulsans, jucundiorem ore tuo divinitus inspirato fidibus spiritus ede sonum, disertissime juvencularum comitantium chorum describens, quomodo *adducentur Regi virgines post eam, proximae ejus adducentur* (Ps. 44, 15). Ecce enim juvencularum agmen choreas in plateis agit, et filia Regis, filia nempe mea, quam ipsemet filiam (tuam) vocabas, prorsus regio honore in sacram aedem, in templum sanctum cum laetitia et exsultatione, vaticinium tuum impletura, ducitur. Dixisti enim: *Omnis gloria filiae Regis ab intus in fimbriis aureis* intemerata et immaculata virginitate circumamicta, et incomparabilis pulchritudinis varietate refulgens. Age, effare tu quoque, Davidis proles, inquiens: *Quae est ista*

quae progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol (Cant. 6, 9)? *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, et quam suavis* (Cant. 7, 1), quae sole circumamicta eris, novumque sub sole spectaculum adduces!

Adesdum, Ezechiel altiloquus, vivifici Spiritus a Deo datum volumen tenens, atque illius portae laudes enarra, quae ad orientem respicit, quaeque, obsignata manens, transitum Deo praebet[1]). Tum si quis alius e primariis sacri et electi ordinis, seu etiam reliquus omnis videntium chorus, vocem laeti extollite, accedentem vaticiniorum vestrorum exitum intuentes. Quid vero? Num vos, o primi parentes, qui a maledictione jam solvendi estis, et antiquam illam deliciarum sedem, e qua expulsi fuistis, recuperaturi estis, numquid congruis encomiis summisque laudibus salutis auctricem non celebrabitis? an vero ad vos maxime non spectat

---

1) Respicit haec Ezech. 44, 2. verba de porta orientali sanctuarii, quam viderat in visione: *Porta haec clausa erit: non aperietur et vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea,* quae patres magno consensu de b. Virgine intelligunt.

vocem efferre, et me vobiscum et una cum nobis omnibus universas creaturas gaudio exsultare?

7. His animi affectibus, uti par erat, venerabilis Anna, semet rei, quae gerebatur, accommodans, dum simul cum dulcissimo conjuge filiam a se genitam deducunt, tenellis virginibus cum face comitantibus, jam ad templi limina pertingunt. Tum portae, ut spiritualem Emmanuelis Dei portam excipiant, panduntur, et pressum Mariae vestigiis limen sanctificatur. Ac templum lampadarum quidem luce coruscat; sed multo magis unius hujus lampadis fulgurantibus radiis resplendet, ejusque decor, ipsa ingrediente, ampliori venustate nitescit. Purpurascunt cornuum altaris stolae e purpureo ac virginali ejus amictu. Gaudet Zacharias excipiendae Dei genitricis honore dignatus: laetatur Joachim, qui oblationem reddendo jam suum vaticinia exitum nancisci invicte testatur. Gaudio gestit Anna in suae prolis consecratione: tripudiant protoparentes, latam in se damnationis sententiam effugientes: jucundantur prophetae, et una cum ipsis omnis ordo gratia exornatus laetissime exsultat.

8. In hunc itaque modum inducitur Dei

filia, et ad cornua altaris inter parentes bene ei adprecaturos et sacerdotem, benedictione ipsam confirmaturum, consistit. Rursus autem ad sacerdotem parentes: Suscipe (inquiunt) eam, quae ignem coelestem atque incomprehensibilem susceptura est: suscipe eam, quae Filii ac Verbi Patris atque unius Dei futura est receptaculum: accipe, eam quae infecunditatis nostrae opprobrium ac sterilitatem abstulit; induc ad altare eam, quae in antiquam paradisi sedem nos est introductura: tene eam, quae partu suo vim mortis, unde nobis terror incumbens, et inferni tyrannidem debellabit: complectere eam, quae naturam nostram in Edem exspoliatam conteget: prehende illius manus, quae fasciis adstringet eum, qui manum nostram intemperantem et audacem insolentissime[1]) por-

1) Perspicuum est, auctorem spectasse ad illud (Gen. 3, 6): *Tulit de fructu illius et comedit: deditque viro suo, qui comedit. Nostram* autem dicitur, uti patet, manus illa ad decerpendum fructum interdictum porrecta, ut innuatur, de eo crimine sermonem heic esse, quod nobis omnibus est commune. Neque vero haec dumtaxat, sed et quae praecedunt de sede paradisi restituenda, de vi mortis atque inferni tyrannide debel'anda, ac de natura spoliata contegenda, prorsus ad eandem causam, *universi* scilicet humani generis lapsi pertinent. Quod porro sedulo

rectam cohibebit: Deo illam consecra, cui nos toti innitimur, et in qua spes nostrae divinitus sunt repositae.

Intuere, Domine, intuere: accipe, quam dedisti: quam ipse largitus es, excipe: suscipe, quam nobis ad sterilitatem nostram solvendam tribuisti, legis quoque sterilitatem per eandem ablaturus, per quam et nos e diuturna et gravissima aerumna liberasti: suscipe istam, quae feliciter res nostras dis-

---

considerandum hoc loco occurrit, illud est, in hac *totius humani generis* pertractanda causa suum semper servari locum beatae Dei Genitrici, atque eum quidem locum, ut quisquis demum, post rem paulisper inspectam, interrogetur, an Deipara inter expulsos illos a paradiso, aut inter oppressos inferni tyrannide, aut demum inter miserrima nuditate squalentes recenseri queat, sponte sua, ipsa scilicet rerum evidentia impellente, ad id negandum feratur. Hoc autem haud levis momenti in rem nostram videri debet. Nam cum haec humani generis causa, et partium, quae in ea Mariae et quidem *solius* Mariae sunt propriae, imago universim in opere redemptionis nostrae vividissima resplendeat, ac jugiter ob fidelium oculos per magisterium Ecclesiae proponatur, jam et hinc facilis reddi ratio potest, cur fideles universim quodam veluti instinctu, cujus quidem rationem assignare ipsi nequeant, qui tamen reipsa ex tradita in Ecclesia fide exsurgit, ad privilegium illud Deiparae firmiter tenendum ac profitendum invincibiliter propellantur. B.

ponit: suscipe, quam ipse elegisti, quam praedestinasti, quam sanctificasti: habe tibi firmatam in te et odore tuo attractam; quam, tamquam lilium e spinis, e nobis indignis elegisti [1]), hanc, hilari animo tibi oblatam,

---

1) Ecce tibi et apud s. Germanum vulgatissima illa apud patres similitudo, qua, cum reliqui omnes Adae filii tamquam indigni et instar spinarum habeantur, Maria tamen ita comparatur lilio, ut propterea electa a Deo dicatur, quia ipsa non veluti *spina* ut reliqui omnes, sed ceu candidissimum lilium Dei oculis apparuerit. Ut evidenter eluceat, quo ista spectent, fac quaeso advertas, ex s. Germani mente haec de trienni puellula affirmari. Quid enim, rogo, tam singulare in puella trienni cerni potuit, ut ipsa quidem *lilium*, reliquae vero ejusdem aetatis puellulae velut totidem *spinae* habendae prae ipsa fuerint? Nam si, quod omnes et sentimus et fatemur, ipsa aetatis tenellae ratio vetat, ne putemus, aliis quidem inter ejusmodi puellas integrum innocentiae decus permanere, alias vero libera se pravaque voluntate polluere; jam palam est, plane absurde fingi, ideo patres hac comparatione usos fuisse, quod censerent, primam justificationis gratiam, qua infantes a peccato originali mundantur ac Deo grati efficiuntur, in Maria quidem intactam servatam, in reliquis vero omnibus, nondum exacta infantia, jam propriis uniuscujusque criminibus exstinctam aut temeratam fuisse. Ipsa igitur res clamat, in comparatione ista usurpanda, hanc et non aliam ss. patrum sententiam esse potuisse, ideo prae omnibus aliis Mariam a Deo electam ceu candidum lilium fuisse, quia sola illius

ulnis tuis complectere. En tibi eam dono offerimus, ac nosmetipsos tibi committimus.

9. Haec concors justorum vox: hi concentus conjugum Deo amabilium: haec Dei progenitorum concinne parata oblatio. Zacharias itaque, excepta puella, primum quidem parentes, ut par est credere, sic affatur: O salutis nostrae auctores, quo vos nomine appellem? Quales vos dixerim? Obstupesco, cernens qualem fructum obtuleritis. Ejusmodi enim est, qui utique Deum ad inhabitandum in se puritate sua [1]) alliciat. Nulla sane, quae ejusmodi pulchritudine fulgeat, inventa unquam est, aut invenietur [2]). Vos instar duplicis e paradiso egredientis fluminis apparuistis, lampadem ferentes auro ac

---

expers fuit originalis probri, propter quod *reliqui ad unum omnes* merito spinis comparantur. B. Cf. *opusc.* XII, 205. annot.

1) Atqui si sermo dumtaxat esset de infanti, quae semel a peccato originali abluta stolam innocentiae candidissimam retineret; nihil sane singularis puritatis, cui congruerit singulare alliciendi Deum privilegium, in Maria inveniremus. B.

2) Haec pariter falsa prorsus essent, nisi ea de immunitate ab originis quoque labe intelligas. Si enim fingas Mariam eo tantum nitore fulsisse, qui detersae per Dei gratiam originali maculae succedit, tot pares Mariae habebis, quot ab origine mundi ad nostros usque dies infantes justificantur. B.

lapide pretioso pretiosiorem; quae pulchritudine immaculatae virginitatis suae et exhilarantibus fulgoribus suis universam terram illuminat. Vos ceu duo fulgentissima sidera, firmamento quodammodo inserta, contemplamur; utrique enim caliginosae literae et latae inter procellas legis obscuram umbram hilari luce dispellitis, et sapienter ad hanc novam novi luminis gratiam credentes in Christum inoffenso pede deducitis. Vos intuemur tamquam splendidissima cornua spiritualis templi novi Testamenti, utpote qui in gremio vestro sanctificatum illud ac Deo dicatum sacrae victimae rationabilissimum altare continetis. Vos (siquidem fieri possit, ut non meritis inferiora dicam) in educanda puella assidui, cherubim apparuistis, mystica prorsus obumbratione propitiatorium Pontificis, omnium Salvatoris, circumtegentes. Vos prae auro illo, quod ad circumvestiendam arcam olim fabrefactum est, vos, inquam, visi estis circumoperientes spiritualem divinamque novi Testamenti arcam, eum continentem, qui nobis in cruce veniam subscripsit. Gaudium vestrum, gaudium est universae terrae: gloria vestra fit omnium communis laetitia. Vos beati, quibus datum fuit, ut talis filiae parentes esse-

tis! Vos benedicti, qui hujusmodi benedictum donum Domino attulistis! Beata ubera, quibus nutrita ipsa fuit, et venter, quo portata est.

10. Huc jam adsis tu quoque, puellula coelis sublimior. Accede, quae infans cerneris, sed Dei officina dignosceris. Accede, et sanctuarii limina tu potius sanctifica: non enim, ut uno verbo jam dicam, te perpurgans altare sanctificat [1]), imo vero a te uberrime sanctificatur.

Age jam penetralia sacra et tremendum conclave introspice, quae cimelium futura es immensum et imperscrutabile. Ingredere ad altaris atrium, quae portas mortis confringis. Aspice intra velum, quae fulgore tuo eos illuminas, qui obnubilante oculos gustu excaecati sunt [2]). Praebe manus mihi, te ut

---

1) En Maria uti nullius purificationis indiga exhibetur. B.

2) Ecce hinc habes universos mortales excoecatos, et quidem excoecatos *propter gustum*; quod manifestissime ad peccatum originale spectat in omnes propagatum: inde vero Mariam habes fulgentissimam, quae excoecatos illos fulgore suo illuminat. Quis porro ita coecutiat, ut non videat, ipsam quoque Mariam inter eos, qui *gustu* sunt obcoecati, collocandam a Germano fuisse, siquidem eam communi obnoxiam peccato existimasset? B.

infantem ducenti, sed simul sustine manum meam, qui senio confectus sum, atque in mandati transgressionem rerumque terrenarum studium pronus fui, ac me ad vitam adducito. Ecce enim te ceu baculum senectutis et naturae, propter lapsum elanguentis, fulcimentum[1]) habeo. Ecce te fore praesidium eorum video, qui in mortem prolapsi sunt. Adoratura veni prope altaris mensam, quandoquidem rationabilissimam et impollutam mensam te evasuram per plura symbola jam praesignificatum est. Totum perambula altaris circuitum, utpote quae thymiamatis odorem efflas, et quolibet suaveoentior unguento odorantibus facta, per os liviniloqui et superno spiritu acti prophetae apte thuribulum nuncupata fuisti. Ascende super aedis sacrae gradum, ascende, cui filiae Hierusalem, venustate pulchritudinis tuae oblectatae, laudes cum gaudio texunt,

---

1) Nisi desipere adeo velis, ut dicas, naturae propter lapsum languenti fulcimentum a Germano heic proponi ipsam naturam propter lapsam languentem, necessario fateberis, Dei genitricem Mariam propter lapsum languentibus, adamiticae scilicet ruinae participibus, nullo modo accenseri posse. Atqui idem omnino dicito de mox sequentibus, ubi s. Germanus Mariam appellat praesidium eorum, qui prolapsi sunt in mortem. Perinde enim foret Mariam quoque morti

quamque reges terrae beatam praedicant: quae sacra basis agnita es, et praecelso patriarchae Jacob fuisti jucundissime ostensa ceu scala a Deo firmata[1]). Sede, Domina; decet enim, regina cum sis et prae omnibus regibus terrae gloriosa, sublimi adeo loco sedere. Tibi, quae cherubico longe nobilior es[2]) thronus, sacrosancta ad inhabitandum sedes debetur. En tibi pro merito, tamquam universorum reginae, primam offero sedem. Et tu itaque erige in praeceps provolutos. Nunc autem propterea tibi cum David acclamo: *Audi filia et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex pulchritudinem tuam* (Ps. 44, 11. 12).

11. Et haec quidem senex; quamquam longe his plura encomia mente volvebat. Parentes interim recesserunt; puella vero, Deo

---

illi (peccato nempe) obnoxiam putare, ac morte detentis praesidium a mortuo polliceri. B.

1) Scala nempe, ut alias videbimus, quatenus per eam et Dei filius in terras descendit e coelis, atque homines e terra ad coelos ascendunt. B.

2) Quia scilicet throno cherubico in prophetis descripto digniorem thronum ex patrum sententia sinum suum Deo Virgo exhibuit. Quod plane falsum foret, si alias propria diaboli sedes idem thronus exstitisset. B.

consecrata, (ibidem) remansit. Et quoad victum ipsi suppeditandum, angeli ei cum timore deserviebant, et (sic) ab incorporeis spiritibus esca delata, sive corporea haec fuerit sive incorporea, (puella) alebatur. Ita initiatio sacra divinitus perfecta est: sic infans crescebat et confirmabatur; maledictionis autem, qua in Edem perculsi fueramus, vis omnis elidebatur.

12. Agite ergo, quotquot adestis Deo dilecti, voce unanimi, pro virili, quantum videlicet per rudem nostram ac prope dixerim infantilem intelligentiam licet, ad Virginem illud inclamemus *Ave*; non quasi hac ratione pro dignitate festivitatem ejus celebrare possimus, sed ut saltem aliquod infirmitati nostrae solatium, quantum possumus, afferamus; quandoquidem Deo quoque, quidquid pro viribus fiat, gratum accidit. Ceterum superat ipsa sane omnem mentis captum, quae sola virgo simul et mater agnita est. Et causa in promptu est. Quae enim alia virgo enixa est, aut enixa integram servavit virginitatem, nisi tu sola, quae prorsus integra Deum incarnatum nobis genuisti, puella beatissima?

13. Ave igitur, quae dum glorioso et non manufacto indumento ornata, hodie in Sancta

Sanctorum ingrederis, nos, qui ob mortiferum animisque exitialem cibum denudati fueramus, purpurea veste, videlicet circumjecto divinitus remissionis pallio, superinduisti[1]), remissionis, inquam, peccatorum, quae nobis in coeno jacentibus a Deo donata est, o Dei sponsa.

Ave, quae hodierna die in ipso exordio splendidissimae et summe venerandae praesentationis tuae universum ad te congregas prophetarum coetum, qui propterea musicis quodammodo organis et cymbalis bene sonantibus hymnum propheticum concinunt, et alacriter exsultantes choreas ducunt.

14. Ave, quae gressuum tuorum concinnitate, serpentem, truculentum mihi ad transgressionem ducem, vaferrimum et scelestis-

1) Adverte, sermonem esse de hominibus spoliatis in Edem propter exitialem cibum, atque adeo coenum, in quo jacere dicuntur, ipsum esse peccatum originale, cujus deinde remissio exhibetur velut nobile quoddam pallium, quo Virgo illa beata nudatos induit. Atqui haec quoque imago Virginem beatam a peccato originali exemptam necessario supponit. Secus enim et ipsa necessario versaretur inter jacentes in coeno ac nudatos, qui *remissione* peccati, ceu pallio quodam, indigent; neque, dum ceteri ad unum universi pallium, id est remissionem peccati quaerunt, ipsa splendidissime vestita cerneretur. B.

simum diabolum, conculcasti; corruptam vero naturam quae ad labendum prona cernebatur, tecum per viam velut manu prehendens, ad coeleste et sanctum non senescens tabernaculum rursus adduxisti [1]).

Ave, quae fulgentibus praesentationis tuae facibus splendorem late diffundens, diem laetitiae et exsultationis iis attulisti, qui in umbra mortis et extremo languore detinebantur, pollicita insuper, caliginem penitus disjiciendam fore, Deo per te efficiente, o quolibet miraculo major Maria.

Ave, lucida nubes, quae spiritualem divi-

---

1) Transgressio, de qua heic sermo, adamitica est; quod manifeste confirmant, quae subduntur de *natura corrupta* indiga manus, quae rursus eam ducat ad coeleste tabernaculum. Splendidissimam ergo habes heic quoque confessionem Deiparae immunitatis a communi omnium lapsu: perversae enim viae, quam duce vaferrimo diabolo humanum genus calcavit, opponuntur concinni Mariae gressus; quod sane perperam affirmaretur, si et ipsa Maria peccato Adae infecta fuisset: nam de ipsa quoque diceretur, duce truculento serpente a recto tramite aberrasse. Atque id luculenter ex sequentibus confirmatur, ubi Maria exhibetur ceu manum *naturae corruptae* porrigens; absurde enim ad sustentandam ac manu ducendam *corruptam naturam* ea proponeretur adjutrix, quae, eodem haerens in luto, manu sustentante ac ducente, non secus atque omnes alii, indigeret. B.

num rorem nobis superinstillas, quaeque per hodiernum tuum in Sancta Sanctorum ingressum sedentibus in umbra mortis splendidissimum solem oriri fecisti: fons divinitus scaturiens, e quo divinae sapientiae fluvii, purissimis ac limpidissimis orthodoxiae undis defluentes, haereseon agmen dispellunt[1]).

15. Ave, amoenissimus et rationalis Dei paradisus, benevolentissima et omnipotenti ejusdem dextera hodie ad orientem plantatus, et ipsi suaveolens lilium et rosam immarcescibilem germinans in eorum medelam, qui pestiferam animaeque exitialem amaritudinem mortis ad occidentem ebiberant[2]): paradisus, in quo ad veritatis agni-

---

1) En aliis verbis expressam antiphonam illam: „Gaude, Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti in universo mundo.“

2) Inspice diligenter antithesim, quae heic instituitur inter *Orientem* et *Occidentem*. Quum enim apud orientales haec usurpari soleat pro eo, quod est *potius* et *deterius*, hoc loco ad sensum determinatum flectitur adeo, ut ad *Occidentem* ii collocentur, qui gustaverunt fructum mortis, nempe qui in Adam peccaverunt; ac propterea vel antithesis tantum ratione habita, Deipara Virgo, quae ad *Orientem* collocatur, eo ipso a misera conditione aliorum semota intelligatur. Sed ipsa insuper paradiso comparatur a Deo ad *Orientem* plantato; id autem jam per se satis

tionem lignum vivificum efflorescit, e quo qui gustaverint, immortalitatem consequuntur.

Ave, sacrosancte aedificatum[1]), et immaculatum purissimumque Dei, summi Regis,

---

indicat, Deiparam ad primaevam felicem conditionem, non vero ad peccato vitiatam pertinere. Neque moveat, quod *hodie* dicatur paradisus plantatus, scilicet in praesentatione. Ut enim nunc plura praetermittamus, satis sit illud nosse, hoc idem de conceptione ipsius pronunciari consuevisse. Sic Petrus argivus (Orat. in Concept. n. 1): *Nunc in arido utero divinus plantatur paradisus, qui nos a priore expulsos .... ad vitam revocabit.* Similia habes infra n. 17. B.

1) Ecce tibi ultroneam ac disertam sanctae conceptionis Deiparae professionem, qua sub palatii Deo ipsi parati symbolo, Virgo beata dicitur *sacrosancte aedificata.* Quo eodem symbolo utens Ecclesia graeca in sacris conceptae Virginis officiis, Mariam celebrat velut palatium Deo in sua conceptione exstructum. Ita enim illa habent (Men. die 9. Dec. ode α'): *Concipitur hodie jucundum Christi palatium, coelumque coelis spatiosius ac sublimius....* (Τὸ τερπνὸν παλάτιον Χριστοῦ, ὁ εὐρυχωρότατος τῶν οὐρανῶν οὐρανὸς ὁ ὑπέρτερος σήμερον εἰσδέχεται). Quod idem, ut alia missa faciam, repetit Petrus Argorum episcopus, sic de angelis ob Mariae conceptionem exsultantibus loquens (Orat. in concept. Deiparae, n. XII): *Quomodo non exsultabunt, purissimum Domini ac Regis omnium Christi palatium parari videntes?* B. Cf. *opusc.* XII, 216. annot.

palatium, ejusdem (Dei Regis) magnificentia circumornatum, omnesque hospitio recipiens ac mysticis reficiens deliciis; quod nunc in aula Domini, in sancto nempe illius templo, fundaris; in quo non manufactus et vario decore nitens situs est spiritualis sponsi thalamus; in quo Verbum, errantem (humanam stirpem) revocare volens, carnem sibi desponsavit, ut eos, qui voluntate propria extorres facti fuerant, (Patri) reconciliaret.

16. Ave, nova Sion et divina Hierusalem, sancta *magni regis Dei civitas, in cujus domibus Deus ipse cognoscitur* (Psal. 47, 4.), et per quam medius pertransit, intactam te servans, commovens gentes, et inclinans reges ad adorandam gloriam tuam, et universum mundum compellans ad celebrandam cum exsultatione praesentationis tuae festivitatem; quae vere auriforme et refulgens, et septies decorum et septem luminibus ardens es candelabrum, ab inoccidua luce lucem recipiens, innocentiae autem oleo enutritum, atque illis, qui in tenebris ex peccatorum caligine coecutiunt, lucis ortum certo spondens.

Ave, Dei mons praepinguis (Ps. 67, 17) et umbrosus: in quo enutritus rationalis agnus peccata atque infirmitates nostras por-

tavit; mons, e quo devolutus ille, nulla manu praecisus lapis (Dan. 2, 34), contrivit aras idolorum, et *factus est in caput anguli, mirabilis in oculis nostris* (Psalm 117, 22. 23).

17. Ave, sanctus Dei thronus, divinum donarium, domus gloriae, perpulchrum ornamentum, et cimelium electum, et totius orbis propitiatorium, *coelumque Dei gloriam enarrans* (Ps. 18, 1). Oriens jubar praebens non occiduum; cujus *egressio a summo coelo* et *a* cujus *calore*, idest providentia gubernante, *nemo unquam absconditur* (Ps. 18, 6. 7).

Ave, quae nativitate tua solvisti sterilitatis vincula, et infecunditatis opprobrium dispulisti, maledictionem legalem demersisti in profundum, et gratiae benedictionem progerminasti, tuoque in Sancta Sanctorum ingressu cum parentum votum implevisti, tum remissionis a nobis obtinendae jecisti fundamenta, et laetitiae cumulum addidisti, utpote gratiae primordia adducens.

18. Ave, Maria, gratia plena, sanctis sanctior, et coelis excelsior, et cherubim gloriosior, et seraphim honorabilior, et super omnem creaturam venerabilior. Ave, columba, quae glorioso ac splendido tuo (in templum) ingressu nobis et fructum fers olivae, et ser-

vatorem a spirituali diluvio [1]), ac portum salutis annuncias, cujus *pennae deargentatae, et posteriora dorsi in pallore auri* (Ps. 67, 15), sanctissimi et illuminantis Spiritus fulgore irradiantur. Ave, urna ex puro auro conflata, et suavissimam animarum nostrarum dulcedinem, Christum scilicet, qui manna est, continens.

19. Sed, o purissima et omni laude et obsequio dignissima, ac Deo dicatum donarium, omni creaturarum conditioni praecellens, terra non secta, inaratus ager, vitis floridissima, poculum maxime exhilarans, fons aquas effundens, virgo generans et mater viri nescia, innocentiae thesaurus absconditus et sanctimoniae decus; acceptissimis tuis ac materna auctoritate validis precibus ad Dominum ac Deum omnium conditorem, Filium tuum, ex te sine patre genitum, ecclesiastici ordinis gubernacula fac dirigas, et ad portum tranquillum, a fluctibus scilicet haereseon scandalorumque securum, per-

1) Ex ss. patrum sententia diluvium spirituale dicitur, quod universum humanum genus, Adamo peccante, submersit. Perinde igitur foret Virginem beatam hoc diluvio mersam existimare, ac si quis affirmaret, columbam, quae Noe apparuit ramum olivae virentem ore tenens, submersam diluvio fuisse.

ducas. Sacerdotes justitia et probatae, immaculatae ac sincerae fidei exsultatione splendidissime induito (Ps. 131, 9). Orthodoxis imperatoribus, qui prae omni purpurae aut auri splendore, et prae margaritis ac lapidibus pretiosis, te nacti sunt diadema et indumentum ac firmissimum regni sui ornamentum, in tranquillo ac prospero statu sceptra dirige. Malefidas nationes barbaras, in te ac Deum ex te genitum blasphemantes, eorum pedibus sternens subjicito. Exercitui, qui tuis semper innititur auxiliis, tempore belli adjutrix esto; subjectumque populum, ut secundum Dei praeceptum in suavi obedientiae obsequio perseveret, confirmato. Tuam hanc civitatem, quae te tamquam turrim ac fundamentum habet, victoriae triumphis coronato, et fortitudine circumcingens custodito, Dei habitationem, templi decorem semper conservato; laudatores tuos ab omni discrimine et animi angore exime: captivis redemptionem tribuito: peregrinis, tecto et quovis praesidio destitutis, solamen te exhibe. Universo mundo auxiliatricem manum tuam porrige, ut in laetitia et exsultatione solemnitates tuas simul cum ista, quam modo celebramus, festivitate splendidissimo exitu transigamus, in Christo

Jesu universorum Rege ac vero Deo nostro, cui gloria et fortitudo una cum sancto vitaeque principio Patre, et coaeterno et consubstantiali et conregnante Spiritu, nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

SANCTI HIEROSOLYMORUM PATRIARCHAE SOPHRONII

SERMO

IN ANNUNCIATIONEM SANCTISSIMAE DEIPARAE[1].

Benedic Pater.

1. Bonum nuncium, fratres, bonum nuncium: dicam etiam tertio, bonum nuncium;

---

1) S. Sophronius secundum graecorum menologia natus est Damasci. Postquam diu vitam egit monasticam familiariterque versatus est cum Joanne Moscho, auctore notissimi *prati spiritualis*, sedem promeruit hierosolymitanam a. 634., sed non diu eam tenuit: mox enim post captam a saracenis sanctam civitatem decessit a. 637. Magnam consecutus est nominis famam, quod strenue adversus monotheletas catholicam propugnaverit fidem. Prolixa ejus epistola synodalis, qua praeclare exponit atque tuetur sanam de Trinitate et incarnatione doctrinam, praelecta et approbata fuit a concilio oecumenico VI. Non minoris praestantiae videtur haec homilia, quam primus graece et latine edidit cl. Ballerini in *syl-loge* jam citata t. 2. pag. 32. ss., cujus etiam versionem exhibemus, atque annotationes plerasque (litera B. subnotatas). De ipso vero homiliae argumento

non modo quia laetis quibusque nunciis sublimius hoc est, divinius et praeclarius, atque ob incomparabiles excellentias eminentius; neque modo quia me, qui illud ipsum affero, jucundum visu exhibet, meosque pedes tum adspectu tum re ipsa efficit speciosos (Rom. 10, 15), quandoquidem et quovis bono melius idem est, et quavis re utili utilius, et universis mirabilibus admirabilius, et omnibus misericordiae divitiis misera-

---

ita cl. editor in praefatione §. 3. scribit: „Praeter eximia illa, quae sive de primaeva creati hominis conditione, sive de funestissimo humani generis lapsu, sive de misericordissimo Dei prostratum hominem erigentis consilio scribit, de ipso incarnationis dominicae mysterio tam dilucide et praeclare doctrinam Ecclesiae adversus omnigenas haereses explanat, ut tantum non illis ipsis synodicis literis, quas a synodo VI. collaudatas diximus, comparari hoc opusculum possit. His porro omnibus fac insuper illa addas plane splendidissima, quae salutationem angelicam explanans de celsissimis b. Deiparae praerogativis mira tum pietate tum sapientia tradit, quaeque frustra in aliis, quae nobis supersunt ejusdem scriptis requiris; et exinde plane colliges, quam merito hoc opusculum praestantissimum haberi possit, ex paucis illis (ut cum Baronio loquamur ad a. 636. n. 5.), quae nobis supersunt, nobilissimi hujus et divinitus afflati ingenii monumentis, cujus doctrina egregia et eloquentia promeruerunt, ut plane inter nobiliores orientalis Ecclesiae magistros censeatur adnumerandus.“

tione locupletius, atque venerandis omnibus ac tremendis venerandum magis ac magis tremendum; verum etiam quia tertio repetitum sublimissimum illum ac divinum beatae et principantis Trinitatis numerum declarat. Omnia enim quaecunque in sacris divinisque dogmatibus, sive etiam in divinioris sapientiae praedicationibus augustisque enunciationibus tripliciter efferuntur, in gloriam deputantur beatissimae Trinitatis, Patris, inquam, et Filii et Spiritus sancti; quae et Trinitas est et unitas cognoscitur; et unitas est et Trinitas deprehenditur; hoc quidem propter tres hypostases: illud vero propter unam solamque divinitatem, substantiam nempe atque naturam.

2. Supersubstantialis enim omnisque vitae auctricis Trinitatis una praedicatur substantia, utpote quae in unam solamque adunatur divinitatem. Quamobrem tum substantiae, tum essentiae, tum naturae integra manet unitas stabilisque atque indivisa, imo vero et multiplicationis expers. Etenim sacrosancta illa Trinitas, quae exstantia omnia potestate sua continet et moderatur, et creatis universis regali divinoque dominatur imperio, numerum quidem quoad suas ipsius personas admittit; quippe Trinitas est et

creditur: quoad substantiam vero naturamque juxta ac divinitatem omnem superat numerationem. Neque enim, quamvis personalium sui ipsius hypostaseon ternario polleat numero, idcirco ad ternarium numerum quoad substantiam quoque se protendit. Propterea et distinctionem praefert in hypostasibus; et dum indistincta manet in natura, in personis distincta praedicatur. Quoad hasce enim singulas distincta, quoad naturam vero indiscreta apparet. Exinde ratione plane mirabili ac stupenda distinctionem pariter obtinet atque unitatem; quoniam neque propter id, quod unum est, naturam scilicet, confunditur, adeo ut in unam quoque ac solam coarctetur personam; neque iterum propter eas, quae tres sunt, personas, inquam, subsistentes, in diversa ac prorsus sejuncta discinditur; sed unum illud integrum manet et indivisum, omnemque disjunctionem pariter ac compositionem respuens.

3. Est enim hoc ipsum in Trinitate mirabile ac stupendissimum, quod, quamvis unum sit atque idem secundum naturam, et Deus unus sit atque una Divinitas: tria tamen in personis invenitur; non quasi natura ipsa seu deitas dividatur, sed quia in suis ipsius hypostasibus ac personis in numerum con-

fusionis omnis expertem dilatatur. Quemadmodum enim Deus est Pater, sic Deus est Filius, itemque Deus est Spiritus Sanctus. Et quatenus eorum unusquisque dicitur Deus, unicam praefert trium personarum substantiam; quatenus autem Pater, et Filius, et sanctissimus Spiritus (haec enim trium personarum ac vere trium ipsius hypostaseon proprie sunt nomina, quibus beata Trinitas quoad personas ad invicem sine divisione naturae distinguitur) tres vere sunt et creduntur, et a fidelibus universis, itemque a coelestibus atque invisibilibus virtutibus magna voce celebrantur et glorificantur, hinc terno sanctitatis praeconio collaudatae, hinc vero una naturalis dominationis praedicatione coadunatae. Namque *sanctus, sanctus, sanctus Dominus exercituum* (Is. 6, 3), clamaverunt sex alas habentia seraphim, qui multo melius profecto, ac nos, theologiae norunt rationes, utpote qui propius, quam nos, ad Deum accedunt, atque e purissimis illius splendoribus participant, sinceraque ejus luce illuminantur. Sacratissima enim Trinitas ter ab ipsis sancta praedicatur, et terna sanctificatione ac glorificatione honoratur; per eam autem vocem, *Dominus exercituum*, in unum dominatum

sine confusione contrahitur. Quemadmodum enim illud, *sanctus, sanctus, sanctus*, ter ab iisdem Seraphim conclamatum trium beatae Trinitatis personarum numerum collaudatum ostendit, ita illud, *Dominus exercituum*, unicam, semelque pronunciatum unam ac solam declarat ipsarum dominationem, secundum quam et Deus unus tres inconfuse sunt et glorificantur, atque una deitas in Trinitate honoratur. Cur enim cum semel eam vocem protulissent, non tacuerunt? neque siluerunt, cum bis clamassent, sed ter illud *sanctus* repetunt? Quia scilicet Trinitatis non una solaque est hypostasis; apage sabellianam exsecrabilem impietatem: sed neque duae ac solae sunt ipsius personae; apage macedonianae impudentiae atheismum: sed ter clamant, ut dixi, ingeminantque illud *sanctus*, idemque labiis indesinenter efferunt, atque ore silere nescio praedicant, quoniam beatae, ac summi exstantium omnium principii, Trinitatis tres definiuntur hypostases, tresque coessentiales ac consubstantiales sunt illius personae, unam pari honore deitatem unamque pari fortitudine dominationem, atque unum in res omnes imperium regnumque sine scissione possidentes[1]).

1) Cf. aliorum patrum testimonia eundem in sen-

4. Quapropter et nos omnium minimi, qui adoratores ejusdem sincerissimi servique sumus, cum fausta vobis evangelizare cupidissime exoptemus, *bonum nuncium*, clamantes, *bonum nuncium*, atque iterum *bonum nuncium* ingeminantes, beatae scilicet Trinitatis bonorum huc quoque inferentes, etiamsi sermo, non quidem ad Trinitatem, sed ad dispensationem[1]) spectans, circa alteram summae ipsius adorandae Trinitatis personam versetur, nobisque solum Verbi

---

sum *opusc.* XVI, 178. in annot., quibus adde haec Damasceni verba in *ep. ad Jordanem* archimandritam *de Trisagio hymno* c. 2. (opp. t. I. p. 483): „Ad hunc porro modum definite pronuncio, Deum per seraphim ac per trisagium hymnum unam in tribus hypostasibus divinitatem ac dominationem tamquam per arithmeticam quandam declarationem Isaiae revelasse. Cur enim non bis aut quater, aut sexcenties vocem hanc *sanctus* cecinerunt? Quid item est, cur nec bis, nec ter, aut quater, sexcenties, haec verba *Dominus Sabaoth, pleni sunt coeli et terra gloria ejus*, pronunciarunt, verum vocem *sanctus* ter, vocabulum autem *Dominus* semel dumtaxat seraphim exclamarunt? An non ut ostenderent, *tres* esse quidem sanctas *hypostases*, *unam* vero trium *dominationem*, unum imperium, gloriam unam essentiamque et Deitatem?“

1) Ad dispensationem οἰκονομίαν i. e. incarnationem: hoc enim nomine patres graeci libenter incarnationis mysterium designant.

adventum annunciet. Opportunum enim cunctisque gratissimum contingit fidelibus, quod utrobique utriusque mentio injiciatur, et simul inconfusa servetur utriusque explicatio, videlicet quod et ea, quae pertinent ad Trinitatem, memorentur, cum de dispensatione disseritur, et rursus laudationibus theologicis, seu circa Trinitatem versantibus, nonnulla de dispensatione subinferantur (quandoquidem et unus esse de Trinitate Verbum dignoscitur, qui humanam dispensationem in se suscepit, totamque nostram, hominum scilicet, massam salvam fecit); diversis tamen et cuique propriis (id fiat) conceptibus juxta atque invocationibus, ut ne qua scilicet, propter Dei ac Verbi ad nos miseros descensum, permixtio inde et confusio pariatur praedicationum tum earum, quae ad theologiam atque Trinitatem, tum earum, quae ad dispensationem aut ad alterum ordinem referuntur.

5. Procul itaque ab hac sacra nostra panegyri sunto Sabellii, Marcelli, Arii, Eunomii, Eudoxii, Asterii, et quotquot alii hisce similes impietatique pariter devoti reperiuntur; qui dispensationis dogmatibus theologicos permiscent sermones, ac semel ipsi implicantes et confundentes, ad veritatem

assequendam plane impotes deprehenduntur. Sed profecto et Petri[1]) procul absint, et Severi[2]), universaque labiis innumeris innumerisque linguis haeresis acephalorum[3]); qui ut sese nobis fidelibus ac piis impiissime ac scelestissime opponant, trisagii cantico praepostere subtexentes crucem, inconfusae Trinitatis doctrinas confuderunt. Nam dum et ipsi ter illud *Sanctus, sanctus, sanctus,* concinunt, triplici sanctificationi crucem impie subnectunt. At enim si hymnus *trisagios* est Trinitatis proprius, quomodo homines divinae sapientiae vere imperiti eidem crucem imperite adjungunt[4])? Non enim

---

1) Taxatur hoc loco Petrus cognomine Γναφεύς, *Fullo* videlicet appellatus, secta eutychianus, qui ter antiochenam sedem annis 471, 476. et 485. invasit. B.

2) Severus hic indigitatur ex eadem monophysitarum secta, qui anno 512., expulso Flaviano II. antiocheno episcopo, eandem sedem occupavit. B.

3) *Acephalorum* cf. supra annot. pag. 35. Bene autem mentio fit *innumerorum labiorum linguarumque*, cum haeretici quam maxime inter se dissentire soleant, adeo ut tot fere sint sententiae, quot capita.

4) Petrus Fullo hymno trisagio verba illa adjecit: *qui crucifixus est pro nobis.* Jamvero cum hymnus ille de ss. intelligatur *Trinitate*, hoc additamento turpissimus insinuatur error, ss. Trinitatem esse passam. Quod si hymnus ille intelligeretur *de*

de Trinitate crux praedicatur, sed ad Filium, unum de Trinitate, per misericordissimam incarnationem factum hominem, et crux pertinet et crucifixio: crux quippe salutarem illius praedicat mortem, quam cruci affixus pro nobis secundum carnem subiit.

6. Cum vero miseri illi nec Verbi incarnationem profiteantur[1]), neque etiam diversarum substantiarum, deitatis inquam et humanitatis, unionem dicant, neque generationem ejus ex Virgine divina vereque Dei genitrice praedicent, quae tamen omnia cruci praevia sint oportet, ita fit ut, sacrosanctis dogmatibus blasphemam Divinitatis pas-

---

solo Filio, a veritate non abhorreret illud additamentum. Ad rem Damascenus ep. ad Jordanem archimandr. *de hymno Trisagio* c. 5.: „Cnaphei (Petri Fullonis) hoc deliramentum est, qui ingenti tumens arrogantia aperto, ut dicitur, capite . . . ac si ipsismet seraphim sapientior foret ac mysteriorum intelligentior, trisagium hymnum tamquam inelegantem pannum quendam fullonum more expurgare veritus non est. Etenim si trisagium hymnum de Filio solo dicamus, omnis prorsus sublata est ambiguitas atque cum maronitis trisagio crucifixionem adjicimus. Verum absit, ut vel hoc labiis usurpemus:" nam universa Ecclesia populusque fidelis hymnum hunc de ss. intelligit Trinitate.

1) Nam qui in Christo unam tantum profitentur naturam, genuinam incarnationis notionem plane respuunt.

sionem perverso consilio immiscentes, crucem quoque impie proferant.

Scelerati enim et stulti Eutychetis confusionem omnem insane sectantes, totumque ejus maxime faeculentum calicem poti, omnia permiscent, confundunt omnia; iis, quae theologiae sunt, inserunt quae sunt dispensationis; quae theologiae sunt, ad dispensationem pertrahunt; naturas binas in unam redigunt naturam, in substantiam unicam conjungunt duas substantias, duplicem et divinitatis et humanitatis formam a propriis placitis expungunt[1]), unamque Christi formam et substantiam, ac naturam definiunt; adeo ut neque theologiae rationes sincerae apud illos atque intemeratae maneant, neque dispensationis dogmata ab eutychiana ipsorum seu potius dystychiana conversione atque confusione serventur immunia. Verum in impietatis abyssum ultro praecipites delapsi, confundantur illi quidem et impietatis fluctibus circumagantur.

7. Nos vero pietatis alumni acephalorumque illorum praestigiis inimici, patrum nostrorum dogmata fideliter servemus; et tra-

1) *A propriis placitis expungunt*, nequeunt scil. amplius in Christo veram profiteri divinitatem vel humanitatem.

ditionum apostolicarum custodes vigiles effecti, cum rationes ad Trinitatem pertinentes habeamus perspectas, et quae sint dispensationis rationes sciamus, neque has cum illis confundamus, neque his illas commisceamus; sed singulis quibusque, quod par sit, adaptemus, suumque locum et modum, et tempus proprium definiamus. Et sic a scandalis longe remoti et ab haereticorum aberrationibus immunes, et ab heterodoxorum insania liberi erimus; divinaque in fide constanter persistentes, nequaquam ab ullis malis spiritibus circumagemur, neque in perversa illa figmenta pertrahemur, in quae adversarii nostri, dum felici frui stabilitate parvipendunt, paternamque pietatem diligenter custodire negligunt, miserabiliter prolapsi sunt et perierunt, atque haereticae impietatis fluctibus jactantur.

8. Quoniam itaque impietatis eorum abyssum feliciter devitavimus, ac super inconcussa fidei petra secure pedem defigentes montem excelsum conscendimus, atque in summis dogmatibus secundum evangelica et prophetica documenta consistimus; jam et vocem, prout vires nobis suppetunt, seu potius prout Deus dederit, attollentes clamemus: *Bonum nuncium, bonum nuncium,*

iterumque dicamus *bonum nuncium*, et Trinitatis nempe gloriam celebrantes, et Dei Verbi, unius de Trinitate, misericordem ad nos descensum laudibus prosequentes. Hoc enim est, fratres, felix nuncium nostrum, quod ut vobis fidelissimis fausto omine afferremus, et in concionem prodivimus, et verba facere hodierna die instituimus.

Vestram autem charitatem hortamur, ut, vosmetipsos convenienter purificantes, ad faustam hanc nostram annunciationem excipiendam aptos exhibeatis. Eum enim, qui semet, prouti oportet, emundaverit, sacra haec nostra felicissima annunciatio non taedio afficit, neque sane arcet; sed mansionem apud ipsum facit salutarem, ac luce ipsum atque charitate implet, eumque, utut natura hominem exsistentem, augustum deitatis templum ac splendidissimae Dei praesentiae munere divitem efficit.

Omnes itaque convenite, omnes festinate, omnes concurrite, omnes convolate, omnes alterutrum praevenite, columbae vobis pennas induentes, ut et voletis, et feliciter in Christo quiescatis [1]), vel assumentes velocis-

---

1) Ps. 54, 7.: *Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam?*

simae capreae pedes, ut coelestia nuncia auribus excipere possitis; ut angelo felicissima nuncia enarranti credatis; ut annunciantem Dei ad homines adventum piis auribus auscultetis; ut denique nos quoque conventum hunc vestrum cernentes alacrem, coetumque ad praecelsa nuncia nostra audienda paratissimum, gaudentes pariter atque exsultantes clamare possimus: *Bonum nuncium, bonum nuncium, bonum nuncium*, terna felicis nuncii proclamatione fidem nostram comprobantes.

9. Et sane tunc veritas emergit, mendacium autem nunquam praevalet, neque infaustissimus incredulitati aditus prorsus aperietur. Nihil enim perniciosum magis, quam incredulitas adversus effata divina. Propterea judaei in praeceps acti sunt; propterea aberrarunt samaritae; propterea in tenebris versantur gentiles; propterea haeretici corruerunt; quia cum Dei evangeliis fidem denegarent, neque divinis oraculis obsequerentur, sed pertinaciter et hostiliter eadem impugnarent, anima simul et corpore demortui, atque aeternae vitae expertes veraeque lucis exsortes reperti sunt. Nunquam enim mendacium, usque dum mendacium est et cognoscitur, veritatem assequitur; neque tenebrae,

quousque tenebrae sunt, suaque persistunt in caligine, unquam illuminantur, neque ullum prorsus refulgentis luminis radium recipiunt. Propterea fulgidae annunciationes nostrae vobis, qui lucem ultro excipitis, magna voce proferuntur; neque enim incredulorum auribus proponi illae patiuntur, neque in tenebrosis cordibus habere sedem ipsis arridet.

10. Vos itaque tamquam filii lucis (1. Thess. 5, 5), luce nutrita germina, lucentia nostra pariterque illuminantia excipite laeta nuncia. Jam enim de ipsorum virtute vos illuminati estis, et divina eorum mysteria illuminatis vestris mentibus illuxerunt, purisque illa cordibus excepistis; et Dei Filium cum fide et gaudio recipientes, ac solum salvatorem vestrum eum habentes, filii Dei facti estis. *Quotquot enim*, inquit, *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (Joan. 1, 12. 13). Vos ergo, quippe Dei filii lucidissimi, lucidissima illa audite Dei nuncia, per quae Dei filii facti estis, et terrena ignobilitate abjecta, coelestem nacti estis nobilitatem, humanamque

aspernati originem, divinam generationem adepti estis. Vos itaque, qui ob perfectam sacrarum annunciationum fidem divina institutione digni evasistis, vos, inquam, eas auribus excipite.

At annunciatio nostra, quaenam tandem illa est? Aut quodnam expectandum est ab ea beneficium? Dicentem fideliter auscultate. Praestantissima enim dicemus, prout nobis ille largitur, qui fausta nunc vobis per nos annunciat.

11. Cum Deus igitur iu principio ex nihilo condidisset universa, quotquot nempe praeter ipsum sunt et ab ipso acceperunt existendi initium, visibilia et invisibilia, sensibilia et intelligibilia, coelestia ac terrestria; hominem quoque ad propriam suam imaginem creavit, ex anima illum rationali et corpore compingens; quem cum libera suique juris vita donasset, ac paradisi divini habitatorem constituisset, propriae bonitatis et imaginem et similitudinem eum effecit. Cumque bonum illum condidisset, divinum ac salutare ei mandatum imposuit; ne forte imaginis nobilitate superbiret, neve, ob similitudinem cum Deo, naturam quoque divinam sibi insipienter comminisceretur.

Verum hic cum tanta a Deo creatore suo

munera accepisset, licet enim Dei conditoris sui regno et imperio, non secus ac reliquae creaturae omnes, uti par erat, subjiceretur; rex tamen eorum omnium, quae supra terram sunt, constitutus ab ipso fuerat, donorum magnitudinem non tulit, sed aequalitatem cum Deo assequi conatur; et cum homo esset et creatus, Deus esse appetiit; atque ita dum divina sibi et sublimia et celsissima quaeque, serpentis fallacia, male comminiscitur, in mortem et corruptionem deturbatur; dumque divinae naturae arripere vult dignitatem, horrendo lapsu corruit. Namque et illud aequissimo factum est jure, ut qui se extollere praeter meritum voluerat, in summam abjectionem provolveretur; quoniam et *omnis qui se exaltat, humiliabitur* (Luc. 14, 11), tamquam qui male sibi usurpare illa contenderit, quae Deus ipsi largitus non fuerit. *Nec* enim *quisquam sumit sibi honorem*, ut inquit magnus Apostolus, *sed qui a Deo* donante *vocatur* (Hebr. 5, 14).

12. Hic itaque, qui honores arripere divinos temere adnisus fuerat, in mortis potestatem redactus jacebat corruptione tabescens; et egressus e terra, denuo in terram resolvi properabat, hodie carnali generatione nascens, cras vero carnali morti occumbens:

hodie in vivis apparens, cras in mortuis recensitus. Et merito hanc tulit homo sententiam, qui Deo ausus fuerat injuriam inferre, suomet e consilio arbitratuque hanc vicem percipiens, dum libera sui potestate, quam a Deo conditore per summum honorem pro excellentissima cum ipso similitudine ac nobilissima imagine acceperat, prave abutitur. *Neque* enim *Deus mortem fecit, nec laetatur in perditione viventium* (Sap. 1, 13).

Et vere infelix evaserat ac summopere miserabilis, qui pridem erat beatissimus; quando paradisi possessor conspiciebatur, quando primus constitutus fuerat paradisi incola; quando vita laboribus vacua molestiarumque experte fruebatur, quando sine tunica ullisve indumentis dies agebat, quando non timebat aërum mutationes, quando molestiam frigoris non noverat, quando ignorabat concretiones glaciei, quando aestus non afficiebatur ardoribus; quando, etsi nudus incederet, non erubescebat, quando non experiebatur passionum conflictus; quando non affligebatur morborum cruciatibus, quando ab humana servitute immunis, quando a barbarica tyrannide liber erat; quando nullas exactoris tributorum audiebat interpellationes; quando

non fugiebat occurrentis foeneratoris adspectum, quando non pavebat ferarum laniatus; quando felicitate summa potiebatur, quando paradisi vescebatur fructibus, quando bonis omnibus affatim fruebatur; quando divina collustrabatur luce, quando terrestribus creaturis, quamvis et ipse creatus, tamquam rex dominabatur: quando Dei praeferebat imaginem, et propter suam cum Deo similitudinem mirum in modum refulgebat.

Quibus sane omnibus, postquam salutare Dei mandatum transgressus est, utpote in Deum ipsum rebellis, exspoliatur, ac nudus et pristino destitutus splendore relinquitur; atque a paradiso quidem e vestigio expellitur, inque terram rursus, quippe corruptibilis ob praevaricationem effectus, revertitur; excessu autem stultitiae, pristinam illam exuens dignitatem, qua Deus ipsum creans exornaverat, similis jumentis evadit. Atque ita dum per vim divinitate potiri se posse putat, corruptionis, mortis et passionum servitute premitur.

13. Verum qui eum e nihilo, quod prius erat, educens creaverat, in tali conditione ipsum cum cerneret, misericordia tactus est; et tactus misericordia ad miserandum est conversus; in miserando autem imis se vi-

sceribus commotum ostendit; intimis demum visceribus non utcunque, sed uti hominum amantissimus, commotus, pro summa qua pollebat benignitate ac pro summa erga hominem dilectione, ad ipsum salvandum atque reparandum divina prorsus misericordia excitatur. Hinc antiquum illud et amoris erga homines plenum consilium exsequitur, quod ab ipso initio sua in homines charitate impulsus constituerat. Opus enim suum, plasmator ipse cum esset, non ferebat labefactatum cernere, atque in terram ac corruptionem lapsum interire.

14. At vero quodnam est consilium, quod ad salutem ac redemptionem hominum Deus excogitavit? Id proclamet in medium prodiens admirandus ille Isaias, qui Deum sine semine concipiendum praedixit, ipsumque e virgine generandum in antecessum enarravit; qui pro divini hujus consilii executione laudis canticum Deo in gratiarum actionem concinens, ita exclamavit: *Domine, Deus meus, glorificabo te; in hymnis collaudabo nomen tuum, quoniam mirabilia fecisti, consilium antiquum verum. Fiat. Quoniam firmas urbes posuisti in tumulum, ut cadant ipsarum fundamenta*[1]);

1) Vaticanus codex oppositam sic praefert senten-

ne aedificetur in aeternum civitas impiorum. Propter hoc benedicet tibi populus pauper; benedicent tibi et civitates hominum injuriam patientium. Quia factus es adjutor omni civitati pauperi, et praesidium iis, qui propter inopiam animo fracti erant. Ab hominibus scelestis liberabis eos (Is. 25, 1. ss. sec. LXX).

Hoc est, fratres, divinum nuncium, quod afferimus: haec vobis hodierna die evangelizamus, non quasi deinceps eventura, sed uti divinitus jam facta, quaeque hominem jam praestiterunt a condemnatione liberum, inque pristinum decus beatitatemque restituerunt, ac Deo amicum non secus ac primitus effecerunt.

15. At qua tandem ratione, inquies, salus nostra a Deo perficitur? aut quomodo ista fit restitutio? Dum auribus divinam hanc

---

tiam: ὅτι ἔθηκας πόλεις ὀχυρὰς τοῦ μὴ πεσεῖν αὐτῶν τὰ θεμέλια: *quia posuisti civitates in tumulum; civitates munitas ut non caderent fundamenta earum.* Particula tamen negativa μὴ abest etiam a codice alexandrino. Ceterum cum cod. alex. non secus ac vaticanus ac reliquae editiones vocem πόλεις ita repetant: ὅτι ἔθηκας πόλεις εἰς χῶρα, πόλεις ὀχυρὰς τοῦ πεσεῖν..., subesse suspicio potest, hanc repetitionem a codice Sophronii amanuensium vitio abfuisse. B.

divinisque pollicitationibus dignisismam adinventionem accipitis, pro vestra prudentia atque sapientia animum advertite. Sapientiae enim plena, imo plenissima haec sunt, omnemque humanam sapientiam longe excedentia.

Is, qui hominem ab initio plasmavit, ipsumque ad propriam suam imaginem condidit, non alia ratione hominem salvandum propriamque imaginem redimendam esse judicat, quam si ipse natura fiat homo, propriamque imaginem proprium suum efficiat indumentum. Hinc impermixta miscentur; hinc sine mutatione confluendo utraque temperantur integra et sincera. Inde suapte natura disjuncta conjunguntur; inde non connectenda nectuntur; exinde divina fiunt humana, ut humana diviniora fiant. Inde Dei Verbum, manens Deus et Dei Verbum, in materiam dilatatur[1]). Inde increatus, quippe a Deo increato genitus, increatus

---

1) *Dilatatur in materiam* παχύνεται, materialis redditur, sicut postea dicitur corporeus, se vilitati materiae (scil. corporis) hypostatice uniendo: seu sicut loquitur Epiphanius in concilio oecumenico VII. act. VI. (secundum versionem Anastasii in *patrol. lat.* Migne 129, 400): „Is, qui sine carne erat, caro factus est, *Verbum incrassatum est.*“

manens, creatur. Exinde Altissimus praedicatur humilis, et invisibilis oculis visibilis cernitur, et impalpabilis palpatur, et incorporeus prodit corporeus, et carnis expers carnem habens describitur, et impassibilis proclamatur passibilis; et qui naturam habet immortalem, natura pronunciatur mortalis, ut scilicet passibilem mortalemque humanitatem ad immortalitatis splendorem atque ad impassibilitatem adducat, Deoque inimicam atque rebellem ipsi Deo ac Patri reconciliet.

16. At quo (inquis) pacto haec adimplentur, quomodo efficiuntur, atque ad opus non fallaciter deducuntur? Tremendum enim illud est et terrificum, et auribus hominum, qui vel divinissima quaeque humanis rationibus dimetiuntur, prorsus incredibile. Verum ubi Deus est, qui denunciat, silet humamanarum ratiocinationum vilitas. Deo enim cuncta facillima sunt et possibilia, imo et factu non ardua, quaecunque demum facere voluerit. Divinae scilicet et eminentissimae potestatis haec est nota praeclarissima atque excellentissima, et creatae omni naturae prorsus incommunicabilis; atque inde fit, ut quae supra naturam humanam sunt ac vim omnem creatam praetergrediuntur, in admirationem ac stuporem rapiant.

At quomodo Deus id perficit? Quomodo ad egregium finem perducit? Praeclare nos id docet a Deo inspiratus Lucas, qui et bonum illud sacrorum omnium sacratissimum nuncium nostrum conscripsit, ut nemo ob rei magnitudinem incredulus exsistat, neve aliquis, infirmus cum ipse sit et impotens atque ad divinius quodque facinus ineptus, Deo impotentiam fallaciter attribuat. Audistis nuper, utpote ipso proclamante, quomodo *mense septimo missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria* (Luc. 1, 26. 27). Audis Deum misisse, et rei fidem non vis habere? Noli de iis diffidere, quae Deus ordinavit; sed potius summa cum pietate crede, Deum, quaecunque demum facere voluerit, ea perficere pro omnipotentia sua valere. Deinde vero a quonam alio mitti posset angelus, nisi prorsus a solo Deo, qui ipsum creavit, et ex non exstantibus substantiavit, universamque angelicam naturam ex tempore condidit? Si itaque constat Deum esse, qui misit, missum autem angelum fuisse in comperto est, quomodo quae dicta sunt, vera non erunt? Haec utique stupeant universi

at Dei virtutem cum norint prorsus infinitam esse ac vere omnipotentissimam, enarratis fidem ne abnuant.

17. Verum quid missus beatus ille angelus ad Virginem integerrimam dicit? Aut quomodo faustissimum hoc nuncium ipsi defert? Et qualia portenta per ipsam magnificentia haec divina molitur? *Ave gratia plena, Dominus tecum* (Luc. 1, 28).

A gaudio incipit eam alloqui ille gaudii nuncius. Noverat enim et plane sciebat, nuncium illud suum universis hominibus atque omnibus pariter creaturis gaudium parare, et quoslibet a quibuscunque dolores expellere; noverat, ex divina hujus mysterii cognitione mundum lumine collustrari; noverat, erroris disjici caliginem; noverat, retundi mortis aculeum; noverat vim corruptionis infringi; noverat inferno victoriam auferri; noverat salutem perdito affulgere homini, qui horum malorum jugo jamdiu premebatur, ex quo scilicet a paradisi deliciis expulsus, et a beato illo domicilio ejectus fuerat. Propterea legationis suae exordium a gaudio ducit; propterea sermonibus suis gaudii voces praemittit; propterea faustis hisce nunciis gaudium antecedit, utpote quae omnibus credentibus gaudio futura erant. Et sane par

omnino erat, ut divina gaudii denunciatio a sermonibus verbisque gaudium elicientibus sumeret initium. Propterea enim et angelus gaudium ante omnia renunciat, quia faustae legationis suae non ignorat exitum, ac probe novit colloquium, quod habebatur, in totius mundi gaudium manifeste esse cessurum.

18. Et profecto quodnam gaudium, aut quaenam reperiri potest jucunditas, quam non longe excedat alloquium ad Virginem illam beatam ac gaudii parentem habitum? Gaude, o supercoelestis gaudii genitrix. Gaude, o sublimissimi gaudii nutrix. Gaude, o salutaris gaudii sedes princeps. Gaude, o immortalis gaudii auctrix. Gaude, o ineffabilis gaudii mysticum diversorium. Gaude, o indeficientis gaudii fons beatissime. Gaude, o gaudii aeterni deiferum cimelium. Gaude, o vivificantis gaudii arbor virentissima. Gaude, o innupta Dei matei. Gaude, o Virgo post partum integerrima. Gaude, o spectaculum prae mirabilibus omnibus summe admirandum. Quisnam tuum eloqui splendorem poterit? Quisnam portentum, quod ipsa es, enarrare verbis audeat? Quisnam magnificentiam tuam effari se posse confidet? Tu hominum exornasti naturam; angelorum or-

dines superasti; tu fulgores archangelorum obtenebrasti; tu sublimes thronorum sedes infra te ostendisti; tu altitudinem dominationum depressisti; tu principatuum ducatibus praecurristi; tu enervasti fortitudinem potestatum; tu ipsis virtutibus potentior virtus prodiisti; tu cherubim oculatissimum visum terrestribus oculis vicisti; tu seraphim sex alas habentium volatus animae pennis divinitus agitatis transvolasti; tu denique omnem creaturam longe transgressa es, quippe quae prae omni creatura enituisti puritate[1]), et omnium creaturarum conditorem in te excepisti; ipsumque et sinu tuo gestasti, et genuisti, et sola ex omnibus creaturis Dei mater effecta es.

19. Propterea tibi acclamo: *Ave gratia*

---

1) Inspice attente, quomodo s. Sophronius singularissimam Mariae puritatem (καθαρότητα) accenseat nominibus, quibus ipsa et spectaculum summopere admirandum, et miraculum inenarrabile, et naturae ornamentum, et praecelsior universis ac singulis coelestibus ordinibus, ac demum omni creatura praestantior celebratur. At vero, quo pacto esset puritatis miraculum, si quod foedissime singulos filios hominum deturpat, ipsam quoque deturpasset? Quo pacto angelicos ordines puritate longe excederet? Quo pacto creatura quaepiam Virgine Deipara purior excogitari non posset? B.

plena, quoniam et prae omnibus creaturis[1]) gratiae muneribus cumulata fuisti. Et hujusmodi in te gaudii et gratiae causam utique scio, ac plane perspectam habeo: atque idcirco clamans et simul gratulans adjicio: *Dominus tecum;* qui quidem tamquam conditor universis dominatur creaturis; tecum vero est, utpote in sinu tuo gestatus, et per ineffabilem conceptionem tuam in utero tuo clausus. *Dominus tecum*, qui aeternaliter quidem ex Patre natus, cum Patre semper conjunctus intelligitur; nunc vero tecum per conceptionem adest, ac tremendam ex te assumptionem carnis exsequitur. *Dominus*

---

1) Quo sensu in Ecclesia acciperentur verba Gabrielis ad Virginem apud s. Lucam, en testis etiam s. Sophronius accedit. Is nempe munerum divinorum cumulus intelligendus est Mariae collatus, ut quaecunque demum ceteris creaturis tributa noveris vel excogites, longe infra gratias, quibus nobilissime exornata fuit sancta Virgo, haberi debeant. Atqui nemo ignorat, non modo coelestes spiritus, sed et primos humani generis parentes e divinis Creatoris manibus gratia sanctificante ornatos prodiisse. Quomodo ergo creaturarum omnium praerogativae nobilioribus Virginis praerogativis cedunt, si ad originem quod spectat, nedum ceteris omnibus ipsa anteeat, infinito intervallo splendidior non modo sanctorum angelorum, non modo protoparentum, sed ipsius quoque diaboli et angelorum ejus ortus dicendus sit? B.

tecum; qui primam inde habet generationem aeternam, hinc vero secundam ex te generationem nanciscitur. *Dominus tecum*, qui una cum Patre universis sane dominatur creaturis: verum ex te formam servi induit, atque humanum genus a servitute liberat. Propterea enim Dominus factus est servus, ut servum gratia sua efficeret dominum. *Dominus tecum*; qui cum extra cujuslibet creaturae censum prius emineret, nunc visus est cum te creata, et per te inter alias creaturas connumeratus est. In te enim creatur increatus; et Creator procedit ex te creatus. In te cerno increatum factum creaturam, et carnis expertem in te factum carnem intueor.

20. Qui ad te, o Virgo, legationem mittit, in coelo carne carebat et corpore; hic vero carnem et corpus eum factum conspicio. In coelo utpote increatus super omnem creaturam eminebat; hic vero in te virgine ipsum et creaturam et manufactum opus sine sui mutatione effectum invenio. In coelo quidem Deum humana natura carentem contemplabar; quomodo enim in coelo cerneretur humanitas? Absit, ut novi somnient Origenes; aut iterum insaniant Didymi; aut denuo in contentione audacissimi Evagrii fabulas inanes in furorem acti enarrent, et cum dete-

standis graecis foedere inito, praecedentem animarum vitam excogitent[1]). Hic vero eum cerno hominem sine mutatione factum; et miraculum in miraculo contemplor, quoniam ipse et Deus est immutabilis, et homo est inexplicabilis; duplex quoad naturam, sed non duplex quoad hypostasim; una enim eademque persona constat, at in duabus naturis manifeste compertus; neque propter naturarum, quibus coalescit, duplicitatem divisus, neque iterum propter hypostasis identitatem et singularitatem et unicitatem pariens naturarum confusionem; neque supernae, omnia pro nutu moderantis, Trinitatis numerum augens, et simul tamen unus ex hominibus inter homines apparens. Atque ita eundem et Deum deprehendo et hominem, ac magnitudinem miraculi plane obstupesco.

21. *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Et quid sublimius esse queat hoc gaudio, o Virgo mater? Seu quid excellentius esse possit hac gratia, quam tu sola divinitus sortita es? Aut quid ea jucundius ac splendidius

1) *Vitam excogitent.* Admittebant hi haeretici, animas ante suam cum corpore unionem jam exstitisse: hinc etiam inferebat Origenes, vel Christi animam praeexstitisse incarnationi Verbi.

excogitari potest? Omnia distant a miraculo, quod in te cernitur, omnia infra gratiam tuam jacent; secundas tenent omnia vel probatissima, et claritate plane inferiori potiuntur. *Dominus tecum;* et quisnam tecum contendere ausit? Deus ex te; ecquis e vestigio tibi non cedat, et non magis tibi primatum praecellentiamque gaudens tribuat? Propterea, tuas prae creaturis omnibus eminentes praerogativas intuens, summis tibi plausibus acclamo: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Ex te enim gaudium non modo hominibus impertitum est, sed supernis quoque virtutibus tribuitur.

22. Vere *benedicta tu in mulieribus*, quoniam Evae maledictionem in benedictionem commutasti; quoniam Adam, qui prius jacebat exsecratione perculsus, ut per te benediceretur, effecisti. Vere *benedicta tu in mulieribus*, quoniam benedictio Patris per te affulsit hominibus, eosque a veteri maledicto liberavit[1]). Vere *benedicta tu in mulieribus*,

---

1) Manifestam hic habes sanctae Virginis a communi ceterorum miserrimo statu sejunctionem illam, quam passim in ss. Patrum scriptis recurrentem contueri licet. Quid porro est *vetus maledictio*, nisi aeternae mortis sententia in omnes propter commune omnibus peccatum lata? Cum ergo sententiae indoles

quia per te progenitores tui salutem inveniunt; tu siquidem genitura es Servatorem, qui divinam ipsis salutem comparabit. Vere *benedicta tu in mulieribus*, quoniam sine semine eum protulisti fructum, qui benedictionem terrarum orbi elargitur, ipsumque a maledictione spinas germinante redimit. Vere *benedicta tu in mulieribus*, quia, mulier naturali conditione cum sis, Dei tamen genitrix reipsa fies. Etenim si qui ex te nasciturus est, secundum veritatem Deus est incarnatus, ipsa jure meritoque diceris Deipara, quippe quae Deum verissime paris.

23. At beata illa ac divina Virgo cum angelum divinorum interpretem hoc modo ad se advenientem vidisset, atque hisce dictis se alloquentem (audivisset), sancta turbabatur anima, et sermones illos apud se perpendens scrutabatur, quid sibi vellent angeli verba, secum ipsa inquirens et diligenter investigans. Stupebat enim, ac mirabatur angelicae salutationis indolem. *Ipsa vero*, inquit, *videns turbata est in sermone ejus, et*

---

postulet, ut ab ea maledictione liber illo habeatur, qui ad liberandos alios idoneus censetur; sua sponte hinc elucet, sanctam Deiparam a communi omnium reatu immunem heic praedicari, seu potius hanc Virginis beatitatem uti exploratam praesumi.

cogitabat, qualis esset ista salutatio (Luc. 1, 29). Erat enim, erat humanae quoque intelligentiae plena; proindeque nihil eorum, quae dicebantur, re accurate non perpensa, admittebat. Quippe animo recogitans Evae deceptionem, timebat ac verebatur, ne denuo se ipsam quoque dolosus serpens, non secus atque illam, deciperet. Prudenter itaque omnia expendebat, ne quando alloquium serpentino illi simile se ipsam forte e divina claritate in praeceps ageret.

24. Porro cum illam hoc pacto secum ipsam colluctantem coelestis nuncius ad eam missus cerneret, protinus ab omni illam timore liberat, terroremque ac metum, omnimodamque eximit perturbationem, laetissima ei et jucundissima et suavissima effatus. *Ne timeas*, inquit, *Maria* (Luc. 1, 30); non sum ei similis, qui matrem tuam decepit; non sum ei similis, qui progenitores tuos quondam e paradisi deliciis extrusit; non sum ei similis, qui a beata vita hominem deturbavit, atque in vitam aerumnis plenam induxit: non sum ei similis, qui mortem prae invidia generavit (Sap. 2, 24), et universos homines obnoxios morti effecit: non sum ei similis, qui universos homines e limo terrae conditos et suam a Dei manu formationem

sortitos, divini praecepti effecit praevaricatores, ac rursus in terrae limum convertit: non sum ei similis, qui Adamum, amicitia Dei prius fruentem, Deo reddidit inimicum.

Angelus ego sum Dei omnipotentis, et dux certo cuidam angelicorum agminum exsisto, atque inter Dei angelos *Gabriel* nuncupor. A Deo autem Patre omnipotente ad te, immaculatam omnisque labis expertem Virginem, missus sum, ut unigeniti ejusdem Filii, qui omnia ad exsistendum perduxit, atque ex non exstantibus ad exsistentiam vocavit, tum descensum in te Virginem, tum summe celebrandam ejus in te conceptionem, et divinissimam ex te incarnationem, et admirabilissimam in tuo utero gestationem, et incomprehensibilem ex te nativitatem annunciem.

Per haec inimici machinamenta omnia labefactantur, per haec universa hostis inventa simul cum ipso eorum inventore disjiciuntur; per haec homo salvatur, et a corruptione mortis surgit; per haec nox erroris evanescit; per haec homo, a paradiso jam extoris, rursus paradisum incolit; per haec, qui draconis versutia amicitiam Dei amiserat, rursus Dei amicus constituitur.

Et idcirco tibi, o virgo beata, et Dei omnium Salvatoris futura genitrix, clamo: *Ave*

gratia plena, *Dominus tecum*; *benedicta tu in mulieribus* (Luc. 1, 28); quoniam et digna exstitisti, quae tantorum magnalium potireris [1]), et coeleste ex te gaudium mundo parietur, et divina benedictio, quae veteris maledictionis vim retundit, per te in homines dimanat.

25. Et ipse quidem tuam, o Dei Mater, collaudo cautam prudentiam, ac prorsus sapientiam adprobo, quod nempe dolosi illius laqueos expavescas; quod belluae illius, odio in homines flagrantis, timeas insidias; quod

---

1) Sophronium habes suo calculo suffragantem communi ss. patrum sententiae, qua affirmant dignam exstitisse Mariam, quae in Dei matrem eligeretur. Atqui notum est, id maxime ad singularissimam ejusdem puritatem spectare. Qua de re juverit heic oculis subjicere, quae in liturgicis Ecclesiae graecae precibus legimus (Men. ad diem 12. Febr. Od. α'): *Verbum suprema Deitatis majestate fulgens (et) carnis prius expers, tu, o undequaque sancta, peperisti carne indutum. A seculo enim tu sola, o purissima ab omni macula, propter micantes puritatis radios, et propter pulchritudinem virginitatis, et propter charismata quamlibet labeculam repellentia, digna apparuisti.* (Σεσαρκωμένον, παναγία, τέτοκας τὸν πρὶν ἀσώματον θεαρχικὸν λόγον· μόνη ἐξ αἰῶνος γὰρ ἀκτῖσι καθαρότητος, παρθενίας τε κάλλει, καὶ παναμώμοις χαρίσμασι πέφηνας ἀξία, Πανάμωμε.) B.

verearis absconditas diaboli sagittas; quod serpentis versutos ac vere mortiferos afflatus metuas, ac formides, ne secunda quaepiam Eva priori illi similis et tu evadas.

Verum *ne timeas, Maria; invenisti enim apud Deum gratiam* (Luc. 1, 30) perire nesciam; invenisti apud Deum gratiam prae qualibet eximiam; invenisti apud Deum gratiam omnibus votis expetendam; invenisti apud Deum gratiam omnium gratiarum splendidissimam; invenisti apud Deum gratiam nunquam elanguentem; invenisti apud Deum gratiam, quae te salvam praestet; invenisti apud Deum gratiam, quae nullo impetu quatiatur; invenisti apud Deum gratiam plane invictam; invenisti apud Deum gratiam perenniter duraturam [1]).

---

1) Inducitur heic Gabriel gratiam sanctae Virgini divinitus collatam miris efferens encomiis, et per haec ejusdem animum confirmans, ne scilicet deplorandum primae matris Evae lapsum sibi quoque metuat. Eam autem in rem archangelus tacite comparationem quandam inter Mariae atque Evae gratiam instituit, et duplici ex capite gratiam Deiparae tamquam praestantiorem celebrat. Ac primo quidem illud utriusque gratiae discrimen attingit, quod ad illum sanctae Virginis metum eximendum pressius facit, et temporariae gratiae protogenitricis (haec enim a congenita sibi gratia cito excidit) stabilem Mariae gra-

Et alii quidem, iique plures, ante te eximia sanctitate floruerunt. Sed nemini, quemadmodum tibi, plena gratia impertita est. Nemo, sicut tu, beatitate auctus est: nemo, sicut tu, sanctitate exornatus est: nemo, sicut tu, ad tantum magnificentiae est evectus: nemo, sicut tu, purificante gratia praeoccupatus est[1]); nemo, sicut tu, splendida luce

---

tiam opponit, quam propterea ἀθάνατον, ἀμείωτον, σωτήριον, ἀκλόνητον, ἀσάλευτον, ἀνίκητον, atque ἄϊδιον appellat: quae quidem invicte praeterea ostendunt, quam vetus, quamque explorata fuerit in Ecclesia doctrina, qua traditur sanctissimam Dei genitricem in gratia confirmatam fuisse. Deinde vero nonnulla alia interserit, quae universim ad ejusdem gratiae praecellentiam praedicandam spectant, uti cum eam dicit ὑπέρλαμπρον, πολύευκτον, ὑπέρφωτον. Porro facillime patet, gratiam Deiparae haud ὑπέρλαμπρον, aut ὑπέρφωτον, aut πολύευκτον prae gratia Evae dici posse, nisi Evae consortem Deiparam in eo statuas, quod ad primam spectat originem. Quid enim aequiparari illi gratiae potest, quae efficiat, ut nunquam non carissima Deo anima exstiterit, nunquam non coelesti illa claritate refulserit? Quaenam gratia majori pretio habenda ac potiori exoptanda affectu, quam quae impediat, ne inter prima exsistendi initia anima Deo invisa, diabolo mancipata, in se turpissima fuerit? Comparatio igitur a Sophronio instituta gratiam exsistentiae coaevam in Maria non minus quam in prima matre Eva, adstruit, imo praesumit. B.

1) Merito quaeri hic potest, quid sibi velit s. Sophronius, cum inquit, *Virginem Mariam purificante*

est circumfusus: nemo, sicut tu, coelesti lumine refulsit; nemo, sicut tu, prae omni

---

gratia praeoccupatam fuisse, seu magis ῥητῶς *Virginem (utique ope gratiae) praemundatam fuisse.* Nam si generatim sermo esset de gratia humanam voluntatem praeveniente, sane obvius foret sensus, atque ad illud fidei dogma propositio referenda esset, quo adversus haereticos pelagianos ac semipelagianos profitemur, gratiam divinam humanis meritis non rependi, sed eandem praevenire humanum quodlibet non modo opus bonum, sed etiam desiderium, ipsumque credulitatis affectum. At enim liquido apparet s. Doctoris sententiam nullatenus huc spectare posse. Ut enim reliqua praetermittamus, quis non videat, Sophronium singularem aliquam Deiparae praerogativam celebrare his verbis voluisse? Porro quod eo sensu quispiam Dei gratia praeoccupetur, adeo singulare dici non debet, ut haereticus audiat, quisquis affirmet, aut exstitisse unquam aut exsistere quempiam posse hominem gratia exornatum, quem hac ratione gratia non praevenerit: *alioquin*, ut inquit Apostolus Rom. 9, 6. *gratia jam non est gratia.* Sententia igitur s. Sophronii ad quidpiam aliud est referenda, quod et capax sit purificationis per gratiam, quodque purificatio ipsa praevertere vero aliquo sensu dicatur. At vero tale aliquid evidentissime habes in ipsa humana Deiparae natura. Purificationis enim non capax modo, sed et indiga per se in praesenti conditione est humana natura, quippe in primo parente vitiata: tum autem etiam praevertere naturam purificatio rectissime dicitur, cum gratia purificans non jam inductam delet culpam, sed ne inducatur antevertendo impedit. Et hunc quidem sensum ipsa Sophronii

celsitudine exaltatus est. Et merito quidem nemo enim, sicut tu, ad Deum tam prope accessit; nemo, sicut tu, Dei donis ditatus est; nemo sicut tu, Dei gratiae particeps fuit. Omnia vincis, quaecunque inter homines emineant; omnia superas munera, quae effusa e Dei largitate in quoslibet dimana-

---

verba important. Singularis enim Virginis praerogativa in eo statuitur, quod ipsa *praepurgata* fuerit (προκεκάθαρται), dum ceteri Adae filii non *praepurgari*, sed *purgari* dicuntur. At quodnam demum discrimen inter *purgatum* et *praepurgatum* reperias, nisi quod illic maculam purgatio subsequitur, ut eam auferat, hic praevenit, ne inficiat? Singulare igitur privilegium, quod eo loci Sophronius de beata Dei Matre depraedicat, nullum est aliud, quam singularissima ejusdem ab originali infectione praeservatio. Sed et dignissimus, qui consideretur, est totus hujus loci contextus. Sophronius enim, uti liquet, ad instar cujusdam principii, e quo deinde tot tantasque Deiparae praerogativas deducat, praemittit illud, quod ex Evangelio constat, Mariam *plenam gratia* fuisse. Ac rursus horum magnalium quasi rationem postea redditurus, *gratiae plenitudinem* iterum inculcat, cui subnectit immensum illum munerum divinorum cumulum, quo Deipara munera cuivis creaturae collata infinito intervallo excedit. Palam est ergo, ex mente ss. Patrum tum *in ea gratiae plenitudine*, tum in illo donorum divinorum prae omnibus excessu, et munus illud, angelis et protoparentibus commune, contineri, vi cujus gratia divina ipsi exsistendi initio coaeva profitenda sit. B.

verint [1]). Plus enim omnibus inhabitantis Dei possessione ditescis. Nemo sic in se Deum complecti potuit; nemo potuit sic frui Dei praesentia; nemo dignus est habitus, qui sic per Deum illuminaretur; ac propterea non modo Deum omnium conditorem ac dominum in te excepisti, sed eum habes ex te ineffabiliter incarnatum, atque in utero tuo gestatum, et post haec genitum, et universos homines a paterna condemnatione redimentem, ac salutem, quae nullum finem habitura sit, ipsis elargientem.

26. Et propterea tibi clamavi, atque iterum vehementer clamabo: *Ave, gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus.* Ne expavescas ad verba mea; ne metuas ad meum alloquium; non struo dolos hominibus funestos: non adveni, ut ge-

---

1) Si gratiae munera Mariae collata longissimo exceduut *quaecumque a Dei largitate in quoslibet dimanaverint*; profecto aut absurdissime affirmandum est, originem peccato infectam sanctae origini longe praecellere, aut verius fatendum est, Virginem Deiparam non modo aeque ac protoparentes coelestesque spiritus, in gratia creatam fuisse, sed longe nobilioribus gratiae donis in eadem illa prima sui origine ex magnificentissima Dei liberalitate ac sapientia fuisse exornatam. *B.*

nitricem mortis invidiam conservis meis propinem: pavorem omnem abige e corde tuo: e mente tua dubitationem omnem depelle; ejice quamlibet ab animo tuo formidinem; non adsto tibi tremendus, utut maxime tremendum ceteris omnibus me exhibeam, neque praefero dignitatis meae majestatem; novi enim quamnam praesens alloquar; novi ad quam divinitus missus fuerim; novi cuinam ministerium praestare jussus sim.

Ego contra, te conspiciens, formidine metuque perculsus expavesco: egomet contra timore correptus ac tremens stupeo magnificentiam tuam. Ipse gratiam tuam vereor; ipse splendorem tuum admiratione defixus suspicio. Ego quidem Dei servus et minister sum; tu autem eris Dei ac domini et creatoris mei mater; imo vero et genitrix et ineffabilis altrix uberum virginalium fluentis illum enutries, qui omni carni *praebet escam in tempore opportuno* (Ps. 144, 15). Ego Dei sum famulus, ac responsa ferendi fungor munere; tu vero intra sinus tui claustrum Deum ipsum habes in te secundum carnem immorantem, et ex te procedentem veluti sponsum, et gaudium omnibus comparantem, ac divinum universis lumen impertientem. In te enim, o Virgo, tamquam in pu-

rissimo nitentique coelo *Deus posuit tabernaculum suum*; et *procedet ex te tamquam sponsus a thalamo* (Ps. 18, 6. s.); ac imitans cursum gigantis, in vita sua viam curret viventibus salutarem in cunctis futuram, quaeque a summis coelis usque ad summos coelos se protendens, omnia divino calore atque una simul vivifico splendore repleat.

27. Proinde etiam iterum beatam hanc gaudii salutationem tibi inclamo: *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Gaudium afferens veni, non exitii metum hominibus infero; gaudii sequester exsisto, non doloris minister agnoscor; adsum laetitiae angelus, haudquaquam infausta denuncio. Quid times e converso te timentem? Quid expavescis dignitate tua expavescentem? Quid ab eo terreris, qui gratia tua terretur? Quid vereris eum, qui tuum splendorem veretur? Servus sum, et minimus filii ac germinis tui famulus. Ipse me, cum non exsisterem, condidit; ipse me e plagis coelestibus ad te misit, jucundissimum suum tibi (per me) significans adventum; ineffabilem ejus tibi nuncio conceptionem; inenarrabilem ejus tibi revelo incarnationem; ejusdem nativitatem omnis gaudii genitricem tibi notam facio.

28. Et idcirco tibi, o Virgo omni laude dignissima, dico: *Ne timeas, Maria: invenisti enim gratiam apud Deum.* Invenisti gratiam, quam nulla penitus mulierum invenit: invenisti gratiam, quam nemo novit: invenisti gratiam, quam nemo sortitus est.

Et qualem istam? Audi: *Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur; et dabit ei Dominus Deus sedem David Patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Haec ut tibi significarem, e coelis missus sum; ut haec tibi perspicue annunciarem, misi ipse, qui ex te nasciturus est; ut tibi haec verbis ac sermonibus enarrarem, mandavit Verbum Patris; ut haec tibi proponerem, unigenitus Dei Filius imperavit; hanc mihi legationem imposuit in coelis, at ipsum hic praesentem intueor; in coelo hoc munus mihi commisit, et ipsum cerno in te Virgine commorantem. Aeternus erat, qui ad te Virginem devenit: nescius erat temporis, qui in tempore a te concipitur; expers erat carnis, qui secundum carnem ex te nascetur; erat incircumscriptus, qui in te circumscriptionem recipit.

29. *Ecce concipies in utero.* Neque tamen

mihi cogites, o Virgo, reliquarum mulierum conceptionem. Ecce concipies in utero conceptione satus experte, conceptione ineffabili, conceptione inenarrabili, conceptione divina, quam non viri inchoaverit consuetudo, neque virilis effecerit congressus, quam nemo hominum verbis explicare valeat. Et sane quonam pacto illi, qui secundum naturam nascuntur, poterunt ea, quae supra naturam sunt, effari? Cum itaque conceptus tuus naturae ordinem praetergrediatur, ratiocinationibus, quae secundum naturam sunt, ne insistas.

Paries autem filium, cui non tantum natura sit tempori mortique obnoxia, sed qui simul naturam habeat aeternam ac tempora omnia omnesque vicissitudines transcendentem. *Et paries filium*, qui non solum visibilis in carne cernatur, sed invisibili quoque incorporeaque substantia constet. *Et paries filium*, qui non modo tuus, o Virgo, filius appareat, verum etiam Dei Filius agnoscatur. Et paries filium, qui non solum deprehendatur homo, sed verus etiam credatur Deus. Et paries filium, non salutis, quae ab alio sit, indigum, sed salutem omnibus hominibus conferentem.

Et propterea *vocabis nomen ejus Jesum;*

cujus sane nominis interpretatio est *Salvator*. Oportet enim, o Virgo, ut qui nascitur in omnium salutem, nomen ipsum *Salvatoris* sortiatur; ut ex ipso quoque nomine manifestetur nati potestas, ac filii tui nativitas universis hominibus salutifera ostendatur.

30. *Hic erit magnus*, quippe *magni consilii Angelus* appellatus, et *Deus fortis* celebratus, et praedicatus *mirabilis Consiliarius Patris*, et declaratus *Princeps pacis*, et, utpote conditor, creaturarum omnium dominator, ac (Coloss. 1, 20) terrestribus pacem cum coelestibus concilians. Praeclara enim principatus sui facinora feret super humerum brachiumque suum; quippe non alterius, sed sua ipsius virtute ac potentia rem geret, pacificam omnibus comparans conditionem. Sed est praeterea *Pater futuri seculi*, solus ex solo Deo genitore genitus, et futuri seculi pater exsistens, et ante omnia secula cum ipso Patre glorificatus. De quo Isaias quoque, tempora praecurrens, prophetavit inquiens: *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis*, tuus nempe parvulus, o Virgo, cujus tibi nunc nativitatem annuncio; *cujus principatus super humerum ejus: et vocatur nomen ejus magni consilii Angelus, Mirabilis, Consiliarius, Deus for-*

tis, Dominator, Princeps pacis, Pater futuri seculi (Is. 9, 6).

Hic erit magnus; non instar illius, qui magnus cum non sit, magnus postea sit evasurus: sed tamquam qui semper magnus et est et deinceps permanebit. Cum enim eum Dei ac Patris Filium secundum naturam esse constet, ipse quoque magnus decernitur et natura Deus praedicabitur. Et profecto ille eandem tecum substantiam habebit, qui prorsus ejusdem etiam cum Deo Patre naturae exsistit. Neque enim, dum generat Deus, inaequalem sibi dissimilemque posset prolem gignere, sed eadem omnino essentia praeditam, et perfecte similem, et omnibus naturalibus proprietatibus sibi prorsus aequalem.

31. *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur.* Semper enim magnus est, et Filius proclamatur Altissimi, utpote ab ipso magno Deo natus et unigenitus ejusdem Filius declaratus. Dico autem, *erit* et *vocabitur*, non quasi reipsa ejusmodi ipse modo non sit; ne id suspiceris; sed haec propter summe admirandam ejus ex te nativitatem, et propter humanae carnis ex te assumptionem dico. Illa enim verba *erit* et *vocabitur*, quae locutiones sunt temporis, de illo dicta sunt,

quatenus homo, vobis hominibus similis, factus est; nam vere etiam vobis similis enascitur.

Similiter et illud: *Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Haec enim omnia propter carnalem ejus ex te generationem de illo affirmantur. Postquam enim semel propter vos homo, vobis similis, fieri dignatus est, simul et perfectus homo audire, et humana omnia pati non abnuit, ut scilicet neque se audientibus videretur spectrum, neque ab intuentibus phantasma putaretur, et miraculum verissimi sui ad vos descensus factis probaret, utque evidentia assumptae a se propter vos humanae naturae argumenta praeberet. Nam quomodo homo, qui terrenae particeps nativitatis non fuerit, nec terrenam gerat abjectionem (quid enim terra abjectius est?), vel magnus fiet, vel verus Altissimi Filius vocabitur[1]? Aut quomodo (homo) aeternum

1) Sensus est: Quomodo vere affirmari posset, *hominem* aut magnum evasurum esse, aut verum Altissimi Filium appellatum iri, aut Davidis throno regnoque aeterno potiturum, nisi iste, de quo haec praedicuntur, vere homo esset, et omnia, quae sunt hominis, haberet, ac propterea nisi humanam nactus

Davidis thronum sortiretur? Aut quomodo in domo Jacob (homo) semper regnaret, et regnum ejus finem non habebit? David enim et Jacob secundum sensum mysticum acceptus, ipse intelligitur Christus. Nam ipse fortis manu, id est virtute, exsistit, et supplantavit hostes vestros, et victoriam adversus eos vobis donavit: per quem illi quoque ex hominibus, qui in ipsum credant, merito antiquum illum judaeorum populum supplantabunt, et utpote Christo egregie fideles inventi, primogenituram, quae, si tempus spectes, illius (judaici) populi erat, obtinebunt.

Verum cum naturam ipse aeternam, atque incomprehensibilem ex Patre habeat nativitatem, haec (humana) assumere et in se suscipere per indutam ex te piissima carnem, et per nativitatem ex te Dei matre sibi eligit; ut nempe illa eadem, quae secundum immortalem naturam ipse possidet, haec vobis quoque, quibus sua in vos homines charitate etiam consubstantialis secundum carnem passibilem et mortalem ex te susceptam factus est, secundum gratiam divinam donaret.

---

esset nativitatem, humanamque abjectionem vere assumpsisset? B.

32. At illa Dei capax Deumque gestans, ac plane immaculata atque universis simul creaturis eminentior Virgo, cum de divina conceptione audivisset, et de mirabili persensisset gestatione in utero, tum de partu illo mirabili intellexisset; enimvero ad hos sermones mirabunda haerebat; neque enim muliebrem naturam ignorabat; considerabat proinde conceptiones, quae secundum naturae leges fiunt, prudenterque animadvertebat, etiam sequentia puerperia absque virili congressu nunquam locum habere. Porro cum semet intactam, atque ab hujusmodi consuetudine, imo et ab hujusmodi cogitationibus plane illibatam nosset; ad Gabrielem archangelum, qui ipsi singularia haec magnalia ac divinae magnificentiae opera significabat, ferebatque faustum gaudii nuncium, reponit: *Et quomodo erit hoc mihi, quoniam virum non cognosco* (Luc. 1, 34)? Quomodo verbis tuis, quae a legibus naturae humanae statis adeo recedunt, fidem habebo? Mulieres parientes equidem vidi plurimas; at quampiam earum, quae genuerit sine congressu virili, nullam novi. Quomodo itaque in me, quae hasce naturae vias nuspiam calcavi, fieri haec poterunt? Quo pacto mater sim ipsa masculi, quae masculi consuetudinem prorsus ignoro?

Numquid quia viro secundum legem Moysis desponsata sum, propterea existimas, o angele, me cubile humanum, e quo initium ducunt et conceptiones et praegnationes et partus, vidisse? Nunquam ad sponsum et custodem meum conjugali consuetudine accessi. Quomodo ergo conceptionem, et generationem et omnino nascituri filii lactationem mihi memoras?

33. An vero ignoras, o supernaturalium rerum nunciandarum minister, Mariam neque cum viris educatam [1]), neque inter pueros masculos versatam unquam fuisse? Nosce splendorem virginitatis meae; et de conceptione ista sine viri congressu verba sana non facies. Nosce castitatis meae excellentiam; et de ista praegnatione conjugii experte sermonem non injicies. Nosce pudoris mei a quavis labe immunitatem; et non dices mihi isto de partu praeter naturae leges. Nosce integerrimam puritatem meam; et lactationem istam incredibilem mihi nequaquam loqueris.

Quin etiam et illud incompertum tibi vi-

---

1) Haec referenda sunt ad historiam, quae tradit, Mariam in templo oblatam, atque in ejusdem templi recessibuse ducatam fuisse.

detur, me a prima statim nativitate in Sanctis Sanctorum, ubi vir nullus occurrit, quo nemo virorum pedem infert, quo nullus cernitur viri cujusvis accessus, enutritam fuisse. Cognosce sanctam vitae meae rationem, et ne carnales menti meae cogitationes objicias. Considera summam conversationis meae puritatem; neve illa, quae matribus sunt consueta, de me suspiceris.

Non unum idemque sunt, o angele, virginitas et connubium: non idem sunt continentia et conjugalis consuetudo; non idem sunt puritas plane sacra, et feminae virique conventus. Etsi enim *honorabile sit connubium, et thorus* secundum legem Moysis sit *immaculatus* (Hebr. 13, 4); at certe multum illis eminet gratia virginitatis. Magnum istam inter et illam discrimen interest; neque ullam omnino inter se comparationem invicem admittunt. Quonam igitur pacto eximias virginitatis praerogativas ipse posthabens, quae sunt connubii ac thori, nuncias ac proponis [1]?

---

1) Haec evidenter confirmant aliorum patrum sententiam (cf. *opusc.* XII, 130. cum annot. subjecta), ss. Dei genitricem, licet fuerit desponsata, *votum* edidisse vel saltem firmum concepisse propositum de servanda in matrimonio virginitate: imo hisce haud

Propterea nuncium istud tuum formido; propterea sermonem tuum timeo; propterea salutationem tuam non admitto, antequam omnia mature dispiciam, et prudentur explorem, ac diligenter perpendam; ne quando sermonibus ab humana fide alienissimis fidem habens, ipsa quoque mente decipiar, et matris meae Evae vestigia premam, ac miseris hominibus majorum adhuc malorum, graviorumque calamitatum auctrix evadam [1]).

---

obscure significatur, b. Virginem fuisse plane immunem a concupiscentiae rebellione.

1) Haud putaverim, ita haec sensa Deiparae a s. Sophronio tribui quasi persuasum reipsa s. Doctori fuerit, tunc s. Virginem haec elocutam fuisse. Citius dixerim, more eorum, qui ex. gr. laudibus celebrantes s. Praecursoris nativitatem, hunc utut in utero matris adhuc inclusum anticipatione quadam inducunt sublimia quaeque de divinis disserentem, sic s. Sophronium ista de sancta Dei genitrice pro sensis potius, quae fidelibus inesse de eadem noverat, quam pro rei gestae verisimilitudine protulisse, atque eadem plane de causa factum cernis, ut Gabrielis archangeli ad Virginem alloquiis illa Sophronius intermisceat, quae ad refutandas haereses Nestorii et Eutychetis adversus incarnationis dominicae mysterium opportuna videbantur, licet ea ab angelo tunc dicta fuisse, nemo sibi persuadeat. Ceterum haud levis momenti fuerit, apud christianam plebem exploratissima tunc ea fuisse, quae in hac Sophronii oratione legimus. Concludi enim inde potest, vulgatissimam ergo in

Ac proinde, habita naturalium legum ratione, iterum dico tibi: *Quomodo erit hoc*

Ecclesia doctrinam exstitisse, quae tradit, eum locum in divina regenerationis humanae oeconomia tribuendum esse Deiparae, qui in prima olim humani generis conditione veteri illi Evae datus fuerat, adeo ut quaecunque primae hujus matris propria fuerunt, ad sanctam Dei genitricem transferenda sint. Et sane, nonne ex his Sophronii verbis patet, comparationem Mariam inter et Evam eo usque perductam fuisse, ut sanctae Virginis deceptio (si qua locum habuisset), et lapsus nonnisi primae matris deceptioni et lapsui aequiparanda forent, neque minus ab illius quam hujus gestis aut rectis aut pravis universi humani generis seu sospitas seu pernicies penderet? Sed et ulterius aliquid ex his elucet, quod pressius ad rem praesentem spectat, nempe ex recepta tunc doctrina non aliam, ac Evae fuerit ante lapsum, Mariae conditionem exstitisse. Propterea hypotheticam illam s. Virginis deceptionem non cum ulla ex omnigenis praevaricationibus eorum, qui in statu naturae lapsae versantur, sed cum Evae errore conferri heic cernis. Propterea Virgo se comparat Evae (sup. §. 23), cum ad hanc serpens primo accessit, et quam idcirco (§. praes. paulo inf.) diserte dicit *adhuc malitiae expertem*. Propterea angelus (§. 24. et 25) cum plura verset, quo testetur, se non eum esse, qui in errorem ac perniciem impellat, nullas insidias memorat ac nullas ruinas, nisi quae ad protoparentum lapsum pertinent. Huc et illud spectat, quod ejusmodi fingitur deceptio, quae, non secus ac Evae factum est, a divina claritate (§. 23) dejiciat: nam haec utique idoneum sensum habent, si s. Virginem eo loci con-

mihi, quoniam virum non cognosco, et virum nihilominus, ut inquis, pariam? Haud

---

stitutam reputes, quem tenuit Eva ante peccatum; contra vero nonne carent omni sensu, si Mariam quoque lapsis hominibus accenseas? Orationis enim series non aliter lapsos homines exhibet aut exhibere heic potest (vid. a §. 12. ad 18.) quam peccati tenebris et umbra mortis involutos, quibus idcirco restauratio per incarnationis opus divinitus paratur; nullus ergo locus superest divinae gratiae luci, e qua Maria excidere possit, siquidem ipsam quoque inter lapsos connumeres. Huc denique collineat, quod graviores adhuc ruinae universo humano generi ex hypothetica Mariae ruina impendere perhibeantur (§. praes.): numquid enim haec palam non faciunt, ex recepta tunc doctrina veteri Evae sic Mariam fuisse substitutam, ut, non secus atque illa, novi ordinis principium foret, novumque denuo quoddam periculum ac veluti certamen in ipsa instauraretur, cujus exitus novae aut felicitatis aut infelicitatis origo humano generi exsisteret? Hinc est, quod et s. Proclus (Homilia 6. §. 16) daemones non modo consilia de s. Virgine expugnanda tamquam de summa rerum agitantes, sed etiam expresse tamquam cum secunda Eva, aeque ac prior illa, adhuc innocenti et integra bellum parantes inducat: „At iterumne (inquit) cum secunda Eva nobis instat certamen? Instruendane acies adversus impollutam mulierem? . . . . . Quonam itaque modo naviculam ejusmodi tempestate jactabimus? . . . . . Quonam modo discerpemus ovem? . . . . . Quonam modo diripiemus civitatem?“ Ἀλλὰ πόλιν ἡμῖν ἐστι πρὸς δευτέραν ὁ πόλεμος; πρὸς ἄφθορον γυναῖκα ἡ παράταξις; Quo in loco ut vim

fide dignum proponis; a cohaerentia cujusque sermonis propria alienus, et a communi consuetudine abhorrens est iste sermo. Quamobrem nunquam illi acquiescam, nisi declares, qua congrua ratione, quae a te dicuntur, ad exitum deduci queant. Ac sane nisi ratio explicetur, quidquam simile prorsus non fiet. Da itaque rationem propositionis tuae, et tunc dictis tuis credam. Cautiorem me ac prudentem facit Evae praeceps lapsus, in quem, cum adhuc malitiae expers ac simplex illa esset, et incuriosa sermones perpendendi, fraudulentus ille totius malitiae principis

---

earum vocum ἄφθορον γυναῖκα plene percipias, adverte, quod contra Proclus subdidit de priori Eva: ἐκείνη τῆς φθορᾶς μεταλαβοῦσα, τῆς ὑπερκειμένης ἀξίας λαβέσθαι διενοεῖτο, *illa cum corruptionem sibi assumeret, eminentem dignitatem capessere se existimabat;* ἄφθορον ergo Proclus Mariam dicit, utpote ab illa corruptione (φθορᾶς) immunem, quam esu ligni prior Eva incurrit. In confesso igitur esse debet, comparationem Mariam inter et Evam eo spectare, ut Maria Evae ante lapsum innocenti ceu nova ac nobilior Eva aequiparetur, quemadmodum novus Adam Christus veteri Adamo suffectus fuit. Quod utrumque Zeno veronensis complectitur, cum divinam charitatem mundi restauratricem alloquens inquit (Lib. I. tract. II. n. IX. p. 25. Veron., 1739): „Tu Evam in Mariam redintegrasti: tu Adam in Christo renovasti.“ B.

draconis sibilus ipsam dejecit. Absit itaque, ut inauditis istis sermonibus fidem habens, altera Eva aliquando evadam.

34. Haec archangelus ab ore virgineo et immaculato ad ipsum loquente cum accepisset, placide vicissim ad eam respondet; et quae naturali ratione explicari non poterant, horum solutionem e supernaturalibus praebet, atque innocentissimam illam a rationum investigatione relevat.

Novi (inquit), o Virgo, et certum mihi est, viri torum te nunquam vidisse. Scio, quam intemerata virginitas tua; perspicio, quam divinae sint cogitationes tuae; video, quam intacta castitas tua, perspectam habeo sincerissimam puritatem tuam. Non ignoro te in Sanctis Sanctorum enutritam fuisse, atque ibi adolevisse, et quam exinde et corporis et animae sanctitatem serves. Novi, Josephum merum (conjugis) nomen sine re sortitum esse; neque enim tamquam sator tibi prolis comparuit[1]), sed ut fidelis et Deo carus filii tui minister.

At quorsum quae ad rem non pertinent,

---

1) Nisi quis potius quam προελήλυθεν legendum putet προσελήλυθεν, ut sensus sit: *neque enim adjunctus est tibi tamquam prolis sator.* B.

haec mihi tu modo promis? His sublimiora ego pandam tibi. Tu narras mihi naturae consentanea et humana; ego vero excelsa tibi dicturus veni ac divinissima. Si sermonum meorum vim nosses, non mihi mulierum objiceres consuetudines; non mihi humilia illa reponeres; non commemorares mihi naturae leges, praeter quas feminae nunquam pariant. Ipse quoque, quamquam natura homo non sim, humanam novi consuetudinem. Novi et ego, viri et mulieris conversatione homines, quotquot nascuntur, generari consuevisse. Non sum horum ignarus, quamquam rei et operis plane exsors, cum alia sit natura incorporea, et alia contra eorum natura, quae corpore constant; atque alia corpore carentibus lex sit et vitae ratio, alia corpus habentibus consuetudo. Sepone, quaeso, abjecta et terrena, et excelsa potius ac coelestia intuere: vilia illa atque humillima relinque, et mecum in admiranda ac plane sublimissima obtutum defige. Non partum juxta naturae leges nunc tibi propono, qui procedat ex viri et carnis voluntate; sed tibi partum annuncio, qui et supra naturae leges, et a communi ordine remotus sit.

35. Virginem nunquam genuisse, scio, o Virgo; attamen tu generabis virgo perspecta

et virgo perseverans. Novi, citra viri consortium mulierem nunquam peperisse; at certe voluntate sua Deo partum decernente, tu (Virgo) paries. Haudquaquam semet ipsa condidit humana natura, adeo ut leges quoque suas sibi definiat. Deus, qui naturam fabricavit, et congruas ei leges statuit, potest etiam, quotiescunque ipse velit, ejusdem leges, quas ipse condens praefinivit, immutare. Deus est, qui vult; ecquis Dei se decretis opponat? Utique mulieres omnes, quae matres fiant, prius cum viris conveniunt, et tunc matres evadunt: tu vero, Deo ita volente, mater fies, virgo tamen, custodiente te Deo, exsistens et permanens. Aliam in te Deus novo opere efficiet conceptionem; aliam in te exstructionem Deus ostensurus est. Nam nihil prorsus eorum, quae facere velit, impossibile ei est; sed velle ipsi simul est efficere, creaturarum, quarum ipse conditor est potentissimus, nulla eidem obsistente. Quomodo ergo Deus, qui omnia potest, te quoque, o Virgo, matrem efficere non poterit? Nisi forte praefinitis limitibus et consueto ordini, quem ab initio constituit, ille quoque subjiciatur, atque ipse serviat legibus, quibus voluit, ut homines deservirent. Haud probanda ista sententia; haud

satis pium hoc est responsum; haud Deo accepta ejusmodi dicta: Deum nempe statuere legibus suis obnoxium, et contendere, Deum ordini servis praestituto ipsum servum subjici. Gratulor tuam cernens prudentiam; gaudeo animadvertens cautelam tuam; laetor tuam perspiciens sapientiam, etsi verbis meis contradixeris. Non enim ab incredulitate profectos sermones tuos judico, neque contendentis voces in his reperio, sed prudentis sapientisque investigationis, et mentis accurate atque intelligenter omnia scrutantis responsum.

36. *Concipies igitur in utero*, sicuti dixi: quin imo, ut video, et jam concepisti, ex quo tibi illud *Ave* protuli, vocemque gaudii effectricem locutus sum: *et paries Filium*, qui et te, cum non esses, creavit, et ante te omnes condidit creaturas. Cuncta enim per Dei Verbum facta sunt; tu autem, o Virgo, ipsum et Verbum Dei et Deum gignes, non humanae quidem naturae expertem, prout aeternaliter ex Patre genitus est, sed carnem et hominem, sine ulla tamen conversione et confusione, sine mutatione et imminutione, et sine corporali transversione factum; nam expers horum Deus est natura sua, licet potentissimus eorum ope-

rator: fines enim vobis, non ipse sibi constituit.

Paries itaque, ut antea dixi, aeternum Dei Filium, qui et Verbum est Patris; et hunc non carnis expertem, sed carni et sanguini adunatum, anima intelligenti atque invisibili ac denique iis omnibus praeditum, quibus instruitur quisquis secundum naturam homo cernitur. Qui in te immaculatam *descendens, tamquam pluvia in vellus* (Ps. 71, 6), carnem ex virgineo tuo sanguine assumens, animam vero, quemadmodum ipsi placet, creans, et haec sibimet copulans atque secundum hypostasim in unius Filii non divisam personam conjungens, ex te ineffabili modo nascetur, te virginem, dum paris, custodiens, et te connubii nesciam efficiens Dei genitricem. Paries autem, cum gestationis in utero tempus expleveris. Vult enim hominum ille amator, vult in hoc quoque semet hominibus similem praebere, ut neque Deus esse desinens, neque humanum peccatum participans, in ceteris omnibus humanam in se exprimat conditionem. Ne amplius ergo mihi illud, ex humana cogitatione profectum, reponas: *Et quomodo erit mihi istud, quoniam virum non cognosco?*

37. Ad quem iterum quoque sanctissima

Virgo, firmissimam habens fiduciam, securis respondet labiis: Audi, o conceptionis meae ineffabilis ac virgineae praegnationis partusque mei nunciator: numquid non habeo, quod in verbis tuis plane demirer? Numquid non est mihi, cur ad dicta tua obstupescam? Sublimissima quippe, et huc usque nuspiam inter homines facta mihi enarras. Novi, Deum, quaecunque sibi agenda praestituerit, ad opus deducere. At nondum ad hodiernam usque diem factum est, quod mihi sermo tuus annunciat.

Saepe equidem mulieres, quae sterilitate laborabant, quaeque aridae prope rupi comparandae erant, prolem, Deo deinceps ita volente, consecutae sunt. Virgo vero, incorruptam servans castitatem, et a viri consortio munda, nuspiam usque in praesens peperit. Novi, Saram multos annos sterilem exegisse; sed postea, cum ad senium properare cerneretur, provectaeque aetatis suae testes gereret canos capillos, Isaacum genuit; Deus enim praecepit, et impossibile erat, ut illud non fieret. Novi, sterilem exstitisse Rebeccam, geminumque deinde foetum edidisse, cum Jacobum eodem tempore gestaret et Esau, qui ex uno patre unaque ex matre manifeste sterili, post multos an-

nos enati sunt. Factam fecundam Annam scio, quae et suam plorabat sterilitatem, et mortem propriae vulvae lamentabatur, ac propterea a cibo potuque abstinebat, quod infecunditatis calamitatem non ferret; sed ista quoque quum universorum Deum cum lacrymis deprecaretur, Samuelem generavit, et abrogat sterilitatis leges, quoniam Deus voces ipsius exaudivit, ac desiderium ejus, utpote potens, explevit. Hisce et eam connumerabo, quae me post sterilitatem protulit, ac per preces genuit me, Mariam. Etenim ipsa quoque Annae [1]) nomen gerebat, communemque habebat cum nomine infecunditatem. Sed et ipsa cum Deum, cui omnia subsunt, exorasset, ac multas ei preces

1) Si viro Emo. Angelo Mai visum est *non negligendum Cosmae testimonium, utpote priscum, pro Anna divae Virginis genitrice (in not. ad Cosm. Comm. in Carm.* Cl. *Greg. Naz., Spic. Rom.* Tom. II. part. II. p. 217); sane neque Sophronii, qui Cosmam seculi intervallo antecessit, testimonium videbitur contemnendum. Sed et antiquius ejusdem traditionis testimonium Emus Majus nobis suppeditavit in *Carmine Victorini de nativitate, vita, passione et resurrectione Domini*, in quo ista leguntur (*Classic. Auct.* Tom. V. pag. 382):

Anna Deo placuit, genitrix quae sancta docetur.
Edidit haec Mariam, Dominum quae Virgo recepit,
Conceptum verbo spiritalis gratia fudit. B.

obtulisset, ut mater evaderet assecuta est: ipsa ex Dei ordinatione genuerat, infecunditatis legibus abrogatis. Alias quoque plures steriles enumerare licet, quae ex singulari Dei providentia matres effectae sunt. At virginem quampiam in vita sua genuisse, quod ipse, ut inquis, nunciare advenisti, ad hanc usque diem nondum audivi.

38. Non itaque Dei jussis fidem abnuo; nam eorum omnium, quae operari ipse voluerit, operator omnino ostenditur. Sed eorum, quae dixisti, vim miror; et quod ipsa praeferunt inopinati simul et novi, hominumque auribus inauditi, id obstupesco; ac merito inquiro, quo pacto haec fient, et qua ratione exitum sortientur. Idcirco neque, cum responsum tibi facerem, dixi: *Non erit hoc mihi prout dixisti, quoniam virum non cognosco;* sed sciscitata a te sum: *Quomodo erit hoc mihi, quoniam virum non cognosco.* Neque enim id aliquando factum est, neque virgo noscitur, quae genuerit; quamobrem interrogavi, ut modum discerem, quo virgo mater fiam, ac filii germinisque semen cum non susceperim, filium pariam. Atque eadem de causa prorsus merito a te denuo sciscitor, inquiens: *Et quomodo erit hoc mihi, quoniam virum non cognosco?* Non enim in-

credulitatis verba profero; tantummodo accuratam rei posco declarationem. Dicito conceptionis modum, ac generationis causam explica; meque non verbis incredulam, sed mandatis obsequentem habebis. Impossibile est enim, ut non fiat, quidquid Deo placitum fuerit.

39. Haec ab illa vere Dei genitrice futura cum audisset archangelus nuntiorum lator, ipsius responsum hujusque sapientiam admiratus, reponit: Optime profecto et sapientissime, o Dei mater Virgo, memorasti, quomodo olim mulieres, steriles antea cum essent, matres deinde liberorum factae sunt, ac miserante Deo et propter misericordiam suam indulgente Domino et creatore ac conditore naturae, propriam quodammodo naturam vicerunt, ac supra naturae vires filios procrearunt. Ubi enim Deus annuerit, cedunt naturae fines ac leges.

Quemadmodum ergo illae, Deo disponente, propriae naturae vicerunt infirmitatem, domitoque acerbo naturae vitio, uteri fructum attulerunt; sic et tu, quae e sterili Anna progenita, gignentis quoque naturam devicisti, pura exsistens virgo, et virgo dein perseverans, filium sine cujuspiam opere aut semine, ipso id a te volente, qui ex te nasci-

tur, ineffabili modo paries. Ipse enim Dominus est et naturae, utpote naturae ipsius creator et provisor. Est enim Deus incomprehensibilis, etiamsi ex te virgine nasciturus sit tamquam homo. Deinde vero cum propter suam in homines charitatem ad omnium hominum redemptionem ipse fiat homo, conveniebat etiam atque ipsi debebatur[1]), ut

---

1) Dignum sane est, quod animadvertatur, Sophronio quoque suffragante, non ex absoluta rei necessitate, sed ex decentia repetendum esse, quod Verbum Dei Filius, carnem humanam assumens, e matre Virgine praeter naturae ordinem nasci voluerit. Quae quidem doctrina explorata adeo et scholae theologis fuit, ut eximius Suarez (in part. 3. q. 32. disp. 10. sect. 3.), cum hanc thesim statuisset: „dicendum vero est, absque ulla dubitatione, potuisse Deum hominem concipi et generari ex muliere opera viri; continuo subdat: Hanc assertionem censeo adeo certam, ut contraria nec probabilis nec verisimilis sit.“ Exinde vero liquet, haud rem acu eos tangere, qui putant, ideo ejusmodi conceptionis rationem in Christo repugnasse, quod repugnet, Christum originali Adae peccato infici potuisse, atque hinc permoveri se affirmant, ne Virginem Deiparam, quae consueto naturae ordine concepta est, ab adamitico peccato exemptam fuisse existiment. „Etiam si, inquit idem Suarez (in 3. part., quaest. 15. disp. 33., sect. 2), per seminalem propagationem conciperetur (Christus), si supponamus factam esse unionem a primo instanti conceptionis ejus, etiam non posset ex vi talis conceptionis peccatum originale

remoto quovis conjugali congressu ac voluptate, conspicuam ac salutarem ex te perficiens incarnationem, nativitate ex sola Virgine gloriari posset.

40. Quod si hoc animum tuum suspensum tenet, quod necdum ad hodiernam usque diem intemerata ac munda virgo pepererit, nec sine viri opera quaepiam unquam mater pueri fuerit compellata, et dici tibi postulas, quandonam virgo pepererit; ego quoque te interrogo et percontor, quandonam Deus humanam naturam induerit, vel quando Deus dignatus fuerit incarnari, vel quando Deus factus sit homo, vel quando Deus sine semine conceptus fuerit, vel quando Deus in utero gestari tulerit, vel quando Deus carnalem ex muliere nativitatem habuerit, vel quando lac Deus e femineis suxerit uberibus, vel quando vagitus Deus emiserit, vel quando Deus aetatis acceperit incrementum, vel quan-

---

contrahere.« Curnam vero? Quia scilicet non adeo necessarius est nexus inter generationem ab Adam ordinario modo deductam et originalem labem, ut haec duo invicem sejungi, Deo sic dispensante, non queant. Hinc et illa nonnullorum patrum sententia, sanctum Domini praecursorem, quem nemo certe credidit sine seminali propagatione conceptum, ab originis vitio fuisse praeservatum. B.

do Deus inter vos homines conversatus fuerit; vel quando Deus pro hominibus mortuus sit; aut quando cruci affigi Deus passus fuerit, vel quando Deus latus tranfixus sit lancea: vel quando Deus triduanum subierit sepulchrum; aut quando Deus perferre haec omnia visus sit, ut hominem malis universis eriperet, et mortis quidem atque corruptionis impetum frangeret, suam vero imaginem, hominem videlicet, incorruptibilem restitueret atque immortalem. Si itaque, o Virgo, nunquam haec facta sunt, sed in tempus praesens fuerant reservata, atque eadem implenda per te fore jam antea praedictum divinitus fuerat; qui fieri potuit, ut alia virgo (hoc enim, ad probandum et confirmandum partum tuum virgineum, a me audire voluisti) ante te generaret? Nunquam virgo peperit, o Virgo, nunquam peperit; sed neque virgo altera post te, o Virgo, aliquando pariet; sed neque, o Virgo, unquam exstitit virgo Dei mater, neque post te solam Dei matrem, o Virgo, alia quaepiam virgo (Dei mater) exsistit. Tu enim, et tu sola inter mulieres virgo es paritura, et tu sola inter mulieres Dei mater es appellanda. *Semel enim in consummatione seculorum* (Heb. 9, 26) Unigenitus Filius Dei ac Patris natu-

ram humanam induturus erat, et carnem ex te, atque ex te sola, mirabiliter assumptam ostendet.

41. Hoc porro Dei propositum per te, ac per te solam, exitum accepturum esse, propheticis tibi verbis persuadebo. Mirabilis ergo ille Isaias, praevidens Dei ac Verbi ex te incarnationem, divinamque atque seminis expertem conceptionem, tum dolorum exsortem gestationem et nativitatem ineffabilem, atque inenarrabilem lactationem, sic manifesto ante proclamavit: *Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel* (Is. 7, 14, sec. 70). Videsne, Virgo pura et immaculata, quomodo eam, quae paritura erat Emmanuelem, absolute *virginem* appellavit? quae quidem tu, et sola exsistis, non autem alia quaepiam ante vel post te videbitur. Non enim ille, a Deo inspiratus, dixit: ecce virgines in utero habebunt et parient filios, et vocabunt nomina eorum Emmanuel, adeo ut etiam alteram parientem virginem tibi exhibere possim. Unus enim est, Emmanuel, quem tu, o Virgo, gignes secundum carnem; alius autem Emmanuel, ut alia quoque virgo admirandum sortiatur partum, neque prius exstitit, neque posthac exsistet, et tu unica es,

o Virgo, divina hujusce genitrix, neque altera quaepiam vel ante te Dei mater nominata est, vel post te insuper erit.

42. Aptissime igitur et convenientissime tibi acclamavi: *Ave*, *gratia plena*, *Dominus tecum*. Quod enim lingua hebraica dicitur *Emmanuel*, in graecum sermonem translatum intelligitur *nobiscum Deus*. At vero, quandonam Deus cum hominibus conversatus vobisque hominibus connumeratus est, nisi modo in novissimis diebus seculi, quando et *semen Abrahae apprehendit* (Heb. 2, 16), et carnem, quae ex te est, assumpsit?

Emmanuel enim, si interpretemur, duplicem habet significationem, naturae scilicet humanae et divinae, e quibus etiam constituitur, et in quibus cognoscitur. Perfectus enim Deus ante secula, perfectus in te factus est homo, humanam ex te naturam assumens, sibique hanc coaptans secundum hypostasim, naturalem utriusque naturae qualitatem ac naturales et essentiales utriusque proprietates immutabiles servans. Nam et quod erat Deus Verbum permansit Deus Verbum, etsi naturam carnis realiter indutus est; itemque quod erat caro, anima rationali praedita, quam e sanguine tuo immaculato

assumpsit, rationalisque vitae spiritu animavit, caro anima rationali praedita permansit, etsi caro cognoscatur unius Dei Verbi, ipsi secundum hypostasim conjuncta, et in unius personae atque unius hypostasis indivisibilem conveniens unionem, quae sane neque connexas naturas immutat, neque in unius substantiae identitatem adducit.

Etsi igitur Christus utriusque naturae ac substantiae discrimen servaverit; tamen unus Filius et Christus ex te manifestabitur mundo, nullam (plurium) filiorum et christorum diversitatem praeferens. Namque idem, qui verus est Deus, verus quoque nascetur homo, nihil eorum, quae vocetur et dicatur, non verissimum ostendens. Vocabitur idcirco Emmanuel, quippe qui verissime utrumque sit, et Deus idem incircumscriptus, et idem homo secundum veritatem: illud quidem secundum aeternam ex Patre nativitatem; hoc vero secundum temporalem et corpoream ex te matre generationem. Sic enim ipsi complacuit humanam salvare naturam; is videlicet, qui exinaniri non potest, in hujusmodi exinanitionem semetipsum demisit, ut humanitatem, in terram corruptionis misere deturbatam, rursus e terra erigeret, et loco deliciarum, quibus fruebatur primitus in

paradiso, hereditatis coelestis participem efficeret.

43. Quonam autem modo, o Dei capax Virgo, id perficiendum sit, dicam, verbisque enarrabo, cum ad hoc quoque tibi revelandum advenerim: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei* (Luc. 1, 35). Ecce habes perspicuam declarationem, veram habes explicationem. In te immaculatam Spiritus sanctus descendet, nitidiori te exornaturus puritate, virtutemque tibi ferendi fructum collaturus. *Obumbrabit* autem *tibi* omnipotens *Dei virtus*, Dei Verbum scilicet atque consubstantialis Filius. Ipsius enim Dei ac Patris hic et manus est et brachium et virtus; ac per ipsum Pater tamquam per Filium fecit omnia, et *in ipso omnia constant* (Coloss. 1, 17): ipse ineffabili modo ex te carnem assumet, et satus expertem ex te conceptionem subibit, humanaeque menti imperviam ex te nativitatem in opus deducet.

44. *Propterea et quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Si itaque Filius Dei vocabitur, qui ex te Deipara Virgine nasciturus est, quomodo non virgo apparebit illa, quae ipsum est paritura? Quod enim virgo

immaculata exsistens ineffabili generatione pepereris, quodque post incorruptum partum virgo permanseris, id luculentissime et citra quamlibet ambiguitatem omnipotentem illius divinitatem evincet. Si enim Deus est qui ex te nascitur, quemadmodum reipsa Deus et est et praedicatur, quid igitur erit, quod, si voluerit, efficere ipse non possit? Deus namque est, licet praeterea nascatur ut homo; et homo est, licet te parientem, uti etiam Deus, servet virginem.

Idcirco enim ad te Virginem ego Gabriel missus fui, ut vel ipso meo nomine palam faciam, eum, qui ex te Virgine intemerata gignitur, Deum pariter esse atque hominem. Nam et hoc nomen *Gabriel*, si ad interpretationem deducatur, Deum simul atque hominem enuntiat [1]). Profecto cum multi in coelo essent angeli, nullum tamen eorum mittendum censuit; sed me, qui unus ex ipsis noscor nominorque Gabriel, ideo misit,

1) In Germani oratione *de annunciat.* § 46. eadem nominis *Gabrielis* recurrit interpretatio, licet ad significandum pertrahatur non quidem duplicem Christi Domini naturam, sed potius reconciliationem inter Deum et humanum genus ope divinae incarnationis perficiendam. Ceterum notum est hebraicam vocem גִּבְרִיאֵל pro eo usurpari quod est *vir Dei.* B.

ut non solum alloquiis, sed et meo ipso nomine perspicue tibi significarem, eum qui ex te nasciturus est, Deum simul hominemque exsistere, atque *omnia verbo virtutis suae portare* (Hebr. 1, 3), et, quippe qui sanctus sit, universorum quoque hominum sanctificaturum nativitatem, et Filium vocatum iri Altissimi, atque eos, qui in ipsum credant, filios Altissimi per gratiam effecturum. Ceterum verbis meis, o Virgo, fidem habe: haec enim reipsa ex omni parte implebuntur. Vera siquidem tibi loquor, utpote veritatis praeco ac nuncius.

Atque ut in fide immota perseveres, ad firmius argumentum ac certum indicium exitus, quem sermo meus sortietur, et hoc haud anceps signum praebeo: *Ecce enim Elisabeth cognata tua et ipsa concepit filium in senectute sua; et hic mensis sextus est illi, quae vocatur sterilis; quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Hoc utique validissimum tibi argumentum erit, omnia verba mea, fausta haec ad te omnibus venerandam nuncia, certissimum ac salutarem exitum ad universorum hominum vitam ac redemptionem esse receptura. Divinae enim virtuti perinde est efficere sive ut pariat sterilis, quae impos erat gignendi, sive

ut pariat virgo ignara connubii. Tu ergo, o Virgo gratia plena ac divina, laetare de muneribus, quibus Deus universorum Dominus te cumulavit, et quibus Filium Dei, qui universo hominum generi gaudio futurus est, generabis.

45. Ad quem Virgo Dei genitrix plane credens et confidens, omnia prorsus perfectum iri, quaecunque sibi a Domino dicta fuerant, mansuete simul et humiliter (nam *mitem et humilem corde* (Matth. 11, 29) Christum purissima illa generatura erat, atque oportebat[1]), ut propria illius humilitate et mansuetudine eximie ornaretur), imo vero et ratione Virgini consentanea respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (Luc. 1, 38).

46. Porro cum Gabriel archangelus hoc a Virgine Deipara responsum tulisset, in coelum, unde et missus ad eandem fuerat, reversus est. Ipsa verum Deum, qui illum

---

1) Ecce doctrinam illam apud ss. patres exploratissimam, oportuisse ut filio quam simillima genitrix exsisteret. E quo principio cum s. Sophronius summam sanctae Virginis humilitatem ac mansuetudinem heic arguat, alii pari jure eam in Virginis puritatem innocentiamque deducunt, quae a quavis labe immunis praedicanda sit. B.

miserat, gestabat in utero, in coelo quidem cum Patre glorificatum, in terris vero et ex ipsa in utero secundum carnem gestari sustinentem. Simul enim Verbum ac Deus ad ipsam descendit, ac per angeli vocem divinum ejus ingressus est sinum et incarnatus est et sine sui mutatione corpus induit, carnem non satam ex ipsa assumens et sibimet hanc vere uniens, atque eam rationali quidem anima praeditam, non tamen ante ineffabilem cum ipso conjunctionem jam subsistentem. Simul enim caro, simul Dei Verbi caro, simul caro animata rationalis; subsistentiam enim habuit in ipso, exsistentiam vero ante id ipsum non habuit.

Neque enim ea aliquando caro fuit cujuspiam alterius hominis nobis similis, quae dein cum Deo Verbo conjuncta fuerit, in compositionemque cum ipso concurrerit; sed simul atque esse coepit caro animata rationalis, ex virginali atque intemerato Virginis immaculatae sanguine desumpta, accepit etiam ut esset caro animata rationalis Verbi Dei. Nulla enim unum Filium et Christum in duos filios et Christos dividere impiissime volentibus[1]), nulla (inquam) praesto est sive

1) Manifeste heic Sophronius docet, hunc quoque errorem Nestorio tribuendum, quod dominicae

demonstratio sive praetextus, ut affirmare possint, eam (carnem Verbi) substitisse ali-

---

carnis seu naturae humanae exsistentiam non contemporaneam qualicunque, quam admisit, conjunctioni cum Deo Verbo, sed plane huic praecedentem tradiderit. Et ne putes, his samosatensem Paulum (qui §. seq. simul cum Nestorio ac Theodoro memoratur) potius quam Nestorium impeti, videsis quae eadem de re Sophronius habet in celeberrima sua *Synodica* (Conc. VI. act. XI. col. 1267. tom. III. edit. Hardouin.): Σαρκοῦται γοῦν λόγος ὁ Θεὸς, . . . οὐ προπλασθείσῃ σαρκὶ συναπτόμενος, ἢ προμορφωθέντι καὶ καθ' αὑτὸ προϋποστάντι ποτὲ προσπλεκόμενος σώματι . . . ἀλλὰ τότε τούτοις παραγενομένοις πρὸς ὕπαρξιν, ὅτε αὐτοῖς ὁ λόγος . . . συνετίθετο· φυσικῶς σὺγχρονον ἔχοντα τῇ ὑπάρξει τὴν ἕνωσιν, καὶ οὐ πρὸ τῆς πρὸς τὸν λόγον ἀληθεστάτης συμβάσεως καθ' ἑαυτὰ γενόμενα πώποτε . . . ἀλλὰ σύνδρομον ἔχοντα τῇ φυσικῇ τοῦ λόγου συμβάσει τὴν ὕπαρξιν, καὶ οὐκ ἐκείνης, οὐδὲ ὡς ἐν ὀφθαλμοῦ ῥιπῇ ταύτην προτερεύουσαν ἔχοντα, ὡς Παῦλος ὁ Σαμοσατεὺς βομβεῖ καὶ Νεστόριος. Ἅμα γὰρ σὰρξ, ἅμα Θεοῦ λόγου σάρξ, κ. τ. λ. „Incarnatur ergo Verbum Dei, . . . non praeformatae carni semet coaptans, aut praeformato corpori aliquando iu se subsistenti se conjungens, sed his ad exsistentiam tunc venientibus, quando ipse Deus Verbum eisdem copulabatur: naturalem nempe unionem habent contemporaneam exsistentiae, non vero exstiterunt in se aliquando ante verissimum cum Verbo conventum: . . . sed synchronam naturali Verbi conjunctioni exsistentiam habent, non autem, ut samosatensis Paulus ac Nestorius perstrepit, hanc illi tempore praecedentem ha-

quando per se ipsam, et propriam habuisse personam, deinde vero sic cum Verbo et Deo

---

bent, ne ictu quidem oculi. Simul quippe caro, simul Verbi Dei caro", et cet. Porro haec quoque conferre debent ad abstergendam labem, qua inconsulto vel s. pontifex Leo M. adspergitur. Scilicet cum Leo quoque et apertissime et saepius (vid. epist. 69. ad cler. et pleb. constantinop., cap. 5 epist. 102. ad episc. Galliar., cap. 3. et serm. 28. in nativitate Dom., 8. cap. 5. edit. Baller.) Nestorium vitiati dogmatis circa tempus unionis Verbi cum carne incuset, jam si vera est sententia Joannis Garnerii (*De haer. et libr. Nestor.*, diss. 1. §. 3. pag. 286), *de unionis tempore Nestorium ab Ecclesiae sententia non recessisse*, eo res adducitur, ut s. Doctor insigni imprudentia (ne temeritate dicamus, aut calumnia) falsum Nestorio crimen dicendus sit imposuisse. Atqui hoc ipsum morari Garnerium debuit, ne praeceps eam in opinionem veniret. Quid enim? Nonne s. Leo, quo tempore controversia nestoriana agitabatur, s. Coelestini lateri, utpote romanae Ecclesiae archidiaconus, assidebat, primasque in gerendis negotiis partes agebat? Nonne s. Leo, quod Garnerius non diffitetur, ad manus habuit Nestorii scripta, etiam ea, e quibus suam Garnerius opinionem firmat, quae et refutanda ad Joannem Cassianum ante ipsam Synodum ephesinam transmisit? Nonne, cum synodus ephesina celebraretur, ad Leonem Cyrillus de gravissimis concilii negotiis, quo ad s. Coelestinum deferrentur, scribebat? Cuinam vero e romano clero, vel quandonam apostolicae Sedi perspectas Nestorii res affirmabimus, si tunc incompertas putemus s. Leoni, qui propterea tam

in naturalem unionem convenisse. Quae enim seorsim exsistunt, atque ab invicem sejuncta

---

crasse erraverit, atque insuper ad affirmanda ea, de quibus ignorabat, temere progressus fuerit? Miratur Garnerius *(l. c.) hominum aliud Nestorio tribuentium sententiam.* Atqui mirandum potius, quod tam facile sibi ipse suaserit, tot viros doctrina et sanctitate praeclaros, quorum prolixum catalogum tum ex Oriente tum ex Occidente, si locus ferret, facile foret subjicere, et quorum multi coaevi factis fuerunt, nihil aut certe minus, quam ipse viderit, de hac re pervidisse ac temere scripsisse. Praesertim vero, quod summa argumentorum pro ea sententia in verbis demum Nestorii sita sit, ut merito domui in summa arena fundatae comparari queat. Numquid enim ea Nestorii dicta evincunt, ipsum aliter docuisse nunquam? Sane ut id affirmes, unica tibi praesto est ratio, ut Nestorii in doctrinis semel prolatis constantiam vindices. Atqui occurret tibi s. Coelestinus, quo auctore (*Epist. ad Nestor.* n. 2) Nestorius, „vera involvens obscuris, rursus utraque confundens, vel confitetur negata, vel nititur negare confessa;“ occurret tibi et Marius Mercator, lectorem monens (*Dissert* de 12 *anathem. Nest.* n. 22), ut „cautus sit de Nestorii varietate et inconstantia, quam, ait, utrum astutia an vecordia ad alliciendum auditorem habeat, non est facile nosse: quovis tamen pacto constat, eum varium esse, sibique contrarium.“ Agitur ergo de re judicata: ac tantumdem constantiae Nestorii deferre licet, quantum fidei tribuere consuevimus hominis testimonio, qui solemni judicio maxime mendacissimus fuerit proclamatus. Non adeo ergo de ea constantia prae-

conspiciuntur, nunquam unitionem naturalem et secundum hypostasim accipiunt. Ubi autem naturalis primitus non adsit unitio, neque ea, quae est secundum hypostasim, fit conjunctio, neque una atque eadem assurgit hypostasis, neque una atque eadem, in-

---

sumendum fuit, ut tot patres antiqui, quibus nemo unus e veteribus contradixerat, inscitiae damnarentur. Ceterum aliqua Garnerio excusatio ex eo non defuerit, quod Petavius, quem oppugnandum sibi proposuit, leviuscule hoc argumentum pertractaverat. Nunc autem eo minus dubitandi locus superest, quo certius corruunt et binae ratiunculae, quas Garnerius in rem suam addidit, scilicet 1. quod Nestorius Mariam Χριστοτόκον constanter dixerit; 2. puod Cyrillus ejusmodi errorem non reprehenderit. Jam enim ab anno 1833. emin. Majus s. Cyrilli homiliam graece edidit (*Collect. vet. Script.* vol. 8. part. 2. pag. 108), eamque an. 1844. rursus dedit versione auctam (*Nov. PP. Bibl.*, vol. 2. pag. 75), qua utraque ea ratio plane eliditur. En tibi vel unam Cyrilli sententiam, qua et errorem illum arguit, et ideo abusive ab iis Mariam dici Christiparam contendit (n. 10. pag. 82): Εἰ δὲ μετὰ τὴν ἕνωσιν κέχρισται, τὴν δὲ ἕνωσιν οὐ βούλονται λέγειν πρὶν ἐκ τῆς παρθένου τεχθῆναι, οὐδὲ χριστοτόκος οὐκέτι πρὸς αὐτῶν ἡ παρθένος ὁμολογηθήσεται. *Jam si post conjunctionem Jesus unctus fuit, conjunctionem autem nullam dicere volunt ante ejus ex Virgine ortum, sequitur, ut isti ne christiparam quidem Virginem fateantur.* Et haec quidem pauca pro argumenti, nimis forte multa pro loci ratione, ad tuendos patres dicta fuerint. B.

divisa pariter et individua omnemque respuens divisionem, persona praedicatur.

47. Quemadmodum autem inseparabilis haec et individua Verbi incarnatio tali stultitia insignes praeterit, cujusmodi sunt Nestorii, Pauli et Theodori, horumque in furore adversus Deum collegae, atque eos proinde a verae pietatis alumnis plane excludit; sic a piorum coetu etiam eos removet, qui conantur naturas confundere, atque ex utraque natura unam nituntur naturam efficere. Neque enim Verbum, dum carnem assumeret, suam ipsius naturam in carnem (secundum illorum insaniam) vertendo incarnatus est: neque rursus carnem mentis compotem et animatam, quam ex hac eadem Virgine Deipara assumpsit, in suam ipsius divinam naturam immutavit, in divinamque substantiam convertit; sed immutatus permansit, et a qualibet conversione remotus, ab omnique confusione immunis, et carnem nobis consubstantialem induit, ac verus propter nos homo factus est. Itemque caro nihil prorsus mutata permansit caro, cujuslibet et conversionis et confusionis expers; et conjuncta Verbo, ut consistere possit, ipsique secundum individuam hypostasim adunata, id quidem, quod nobis est consubstantiale, sine

ulla mutatione retinet, et in nullo pariter mutatam nobiscum similitudinem, quoad naturam et essentiam et substantiam, servat; neque tamen ullam a Verbo divisionem sustinet, neque scissionem aut sejunctionem ullam patitur; sed ipsius Verbi propria est et peculiaris; dumque propter unionem cum eo secundum hypostasim in unam cum ipso personam convenit, propriis tamen naturae suae finibus consistens ac perseverans ostenditur; diversam quidem ab ipso (Verbo) praeferens naturam, non tamen diversam ab eodem personam ullatenus habens, sed in unam et solam cum ipso hypostasim, eamque unitam et compositam (non enim simplex ea est et incomposita), non autem in unam compositam naturam conveniens; hinc enim suum confusio ducit initium, hoc convertentis illius mutationis exsistit fundamentum.

Verbum igitur incarnatum quemadmodum illos rejicit, qui scissionem ac divisionem inducunt; ita et eos, qui ambas naturas confundunt, ipsarumque mixtionem atque mutationem praedicant, a sacris septis repellit. Ejusmodi sunt Severi, et Eutychetes, et Dioscori; Apollinarii quoque et Polemones, et ante istos Simones, Valentini, Marciones,

Basilidae, Manetesque[1]) ac Maenandri, et quae nunc omnia agitat, universa acephalorum polycephala haeresis; quae quidem unum communeque adversus pietatem bellum gerit, innumera vero ac nunquam finem habentia in se ipsa bella patitur. Haec itaque vere augusta, imo vero augustissima, divinisque piorum auribus plane digna, quae modo annunciamus, nos quidem suaviter invitant; sed a solemni laetitia felicis eorum annunciationis sceleratos illos ac stultos foras expellunt, quippe qui impie de iisdem et sentiunt et loquuntur.

48. Ego autem minimus[2]) ad haec praedicanda hodie cum prodierim, ad vos solos pietatis fideique filios, ac pie illa, quae dicuntur, excipientes, clamo voce magna et pa-

---

1) Communior apud graecos inflexio nominis *Manetis* est Μάνης, Μάνου. Fuit autem Manes auctor haeresis manichaeae.

2) Et ex his colligi potest, hanc orationem a s. Sophronio adhuc monasticam vitam agente habitam fuisse, antequam scilicet hierosolymitanam ecclesiam gubernandam susciperet. Licet enim episcopus cum episcopo agens interdum semet ἐλάχιστον appellat, uti Cyrus alexandrinus in inscriptione epistolae ad Sergium constantinopolitanum (Act. 13. synod. VI); non eadem tamen ratione oves suas pastor alloqui solebat. B.

lam promulgo, et dico: *Bonum nuncium, bonum nuncium, bonum nuncium.* Bonum nuncium Salvatoris nostri; bonum nuncium Dei propter nos incarnati; bonum nuncium divini ad nos adventus; bonum nuncium Dei naturam humanam e nobis assumentis; bonum nuncium conceptionis Dei sine semine; bonum nuncium Dei in virgineo sinu gestati; bonum nuncium Dei cum carne sine mutatione conjuncti; bonum nuncium, cujus virtute nos abjecti erigimur, et deificamur, et dii secundum gratiam efficimur. Jam non amplius corruptionem timemus; non amplius passionibus terremur; non amplius mortem expavescimus; non amplius scelestum diabolum trepidamus; non amplius occultas ejus insidias metuimus; non amplius manifestam ejusdem tyrannidem formidamus; sed omnes dii cernimur, omnes Deo similes deprehendimur, omnes coelesti choreae adscripti, omnes supernae civitatis Jerusalem cives conspicimur. Ubi enim conversationem nostram habemus, ibi hereditatem quoque accipiemus, et ineffabilem mansionem obtinebimus.

49. Horum omnium bonorum nuncium laetissimum ad vos dilectissimos, fratres, hodie pervenientes attulimus. Namque ho-

rum omnium origo, et radix, et fundamentum, et basis ea sunt, quae modo vobis annunciavimus. Ex his siquidem, uti nostis, tamquam e fonte quodam dimanans, nobis omnis bonorum copia profluit, atque universam pariter terram irrigat, et exhilarat, et nutrit, et ad coelestes aulas reducit, et divinissimarum, quae illic sunt, mansionum, ac beatorum munerum participes efficit. Ac propterea saepius vehementi voce cum gaudio exclamo: *Bonum nuncium, bonum nuncium, bonum nuncium*; propter hoc vos voco et excito, et ut hodierna die hoc festive celebraretis, optavi. Inde enim salus nostra procedit; inde nobis elucet libertas; inde nostra in Dei filios adoptio enascitur; inde nostra revocatio paritur; inde Verbum ac Deus ad nos salvandos accedens salutiferum opus inchoat. Hoc suae in nos misericordiae facit exordium; hoc statuit deificationis nostrae initium, quo nihil jucundius hominibus, quo nihil terrestribus pretiosius, quo nihil mortalibus gratius; unde secundus Adam, terra virgine[1]) assumpta, se ipsum

---

1) Frequentissima apud ss. patres occurrit comparatio sanctae Virginis cum terra illa virgine, e qua primus Adam formatus est. Comparationem autem

humano habitu (ut primum quondam Adamum) formans, alterum humanitati creationis initium facit, prioris renovans vetustatem, et secundam nobis exhibens non inveteratam, quae ejusdem cum (priori) illa est naturae atque ejusdem propaginis, non tamen eosdem cum illa habet vitae mores, neque par dignitatis et sublimis gloriae pondus. Illa per primum Adam condemnata fuit; haec a crimine per secundum Adam est liberata. Illa per primum Adam divinis exspoliata fuit splendoribus; haec per secundum Adam coelesti luce est restaurata. Illa per primum Adam *e terra terrenum* (1 Cor. 15, 47) ac terrena sapientem servitutis jugum subiit; haec per secundum Adam et consubstantialem Dei Filium *adoptionis in filium* dignitatem recepit, et clamandi ac vocandi, *Abba, Pater* (Rom. 8, 15), potestate aucta est.

50. Numquid, fratres, levis momenti hoc nostrum est nuncium? Numquid nullius pretii annunciationis nostrae est praeconium? Numquid exiguus ac despiciendus nuncii nostri splendor? An potius non omnem fulgorem omnemque nitorem superat,

---

inde etiam instituunt, quod utraque terra purissima fuerit, nec maledictioni subjecta. B.

atque omnem obscurat venustatem? Propterea ad vos consortes eademque sapientes clamo, et clamans, *bonum nuncium*, *bonum nuncium*, *bonum nuncium*, non satior. sermonem excurrere adhuc volentem et ulterius expedito gressu progredi cupientem, cohibeo. Jam enim defessos auditores cerno, quamquam sublimium annunciationum nostrarum auditione nondum satiatos. Spiritum siquidem promptum habetis, sed carnem infirmam (Matth. 26, 41); quoniam et sermonis satietate tenemini, et laborem ferre ulterius non valetis. Scio autem satietatem sermonis, utut divinus hic sit et sublimis, etiam audiendi alacritati inimicam esse, praesertim vero si quis in sermonibus audiendis ad fastidium sit pronus. Sancte igitur et sublimi sensu sublimium ac sanctarum annunciationum nostrarum sublimem sanctamque celebremus solemnitatem, ac digno ipsam ac decenti honore prosequamur, ut per ipsam invictissime consequamur bona illa coelestia, quorum ipsa nobis radix et fons, et mater apparuit in ipso Christo Jesu Domino nostro, quocum Patri et sancto Spiritui gloria, honor, imperium, majestas in secula seculorum. Amen.

DIVI

THOMÆ

AQUINATIS DOCTORIS ANGELICI

IN SALUTATIONEM ANGELICAM, SCILICET AVE MARIA,

EXPOSITIO.

Ave Maria gratia plena, Dominus tecum.

1. In salutatione ista continentur tria. Unam partem fecit angelus, scilicet *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Aliam partem fecit Elisabeth mater Joannis Baptistae, scilicet *Benedictus fructus ventris tui.* Tertiam partem addidit Ecclesia, scilicet *Maria*[1]): nam angelus non dixit, *Ave Maria*, sed *Ave gratia plena.* Et hoc nomen, scilicet *Maria*, secundum

---

1) *Maria.* Cum s. Thomas recensens quae addiderit Ecclesia angelicae salutationi, nominis tantum *Mariae* faciat mentionem, nullatenus vero illius clausulae: Sancta Maria, Mater Dei etc., videtur consequi, ejus aetate nondum viguisse consuetudinem hac oratione absolvere salutationem angelicam.

suam interpretationem convenit dictis angeli, sicut patebit.

2. Est ergo circa *primum* considerandum, quod antiquitus erat valde magnum, quod angeli apparerent hominibus: vel quod homines facerent eis reverentiam, habebant pro maxima laude. Unde et ad laudem Abrahae scribitur, quod recepit angelos hospitio, et quod exhibuit eis reverentiam. Quod autem angelus faceret homini reverentiam, nunquam fuit auditum, nisi postquam salutavit beatam Virginem, reverenter dicens, *Ave.* Quod autem antiquitus non reverebatur hominem angelus, sed homo angelum, ratio est, quia angelus erat maior homine, et hoc quantum ad tria. *Primo* quantum ad *dignitatem*: ratio est, nam angelus est naturae spiritualis: *Qui facit angelos suos spiritus* (Psalm. 103, 4); homo vero est naturae corruptibilis: unde dicebat Abraham: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* (Gen. 18, 27). Non ergo erat decens, ut spiritualis et incorruptibilis creatura reverentiam exhiberet corruptibili, scilicet homini. *Secundo* quantum ad *familiaritatem* ad Deum. Nam angelus est Deo familiaris, utpote assistens: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena mil-*

lia assistebant ei (Dan. 7, 10). Homo vero est quasi extraneus et elongatus a Deo per peccatum. *Elongavi fugiens* (Psal. 54, 8). Ideo conveniens est, ut homo revereatur angelum, utpote propinquum et familiarem Regis. *Tertio* praeeminebat propter *plenitudinem splendoris gratiae divinae:* Angeli enim participant ipsum lumen divinum in summa plenitudine. *Numquid est numerus militum ejus, et super quem non surget lumen ejus* (Job. 25, 3)? Et ideo semper apparet cum lumine. Sed homines, etsi aliquid participent de ipso lumine gratiae, parum tamen, et in obscuritate quadam.

3. Non ergo decens erat, ut homini reverentiam exhiberet, quousque aliquis inveniretur in humana natura, qui in his tribus excederet angelos; et haec fuit beata Virgo. Et ideo ad designandum, quod in his tribus excedebat eum, voluit ei angelus reverentiam exhibere: unde dixit, *Ave.* Unde beata Virgo excessit angelos in iis tribus, et primo in *plenitudine gratiae,* quae magis est in beata Virgine quam in aliquo angelo; et ideo ad insinuandum hoc angelus ei reverentiam exhibuit, dicens, *Gratia plena;* quasi diceret: Ideo exhibeo tibi reverentiam, quia me excellis in plenitudine gratiae.

4. Dicitur autem beata Virgo *plena gratia* quantum ad tria. Primo quantum ad *animam*, in qua habuit omnem plenitudinem gratiae. Nam gratia Dei datur ad duo, scilicet ad bonum operandum, et ad vitandum malum; et quantum ad ista duo perfectissimam gratiam habuit beata Virgo: nam ipsa omne peccatum vitavit magis quam aliquis sanctus post Christum. Peccatum enim aut est originale, et de isto fuit mundata in utero; aut mortale, aut veniale, et de istis libera fuit. Unde: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (Cant. 4, 7). Augustinus in *Libro de Natura et Gratia* (c. 36. n. 42): „Excepta sancta Virgine Maria, si omnes sancti et sanctae cum hic viverent, interrogati fuissent, utrum sine peccato essent, omnes una voce clamassent: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (1. Joan. 1, 8). Excepta, inquam, hac sancta Virgine, de qua propter honorem Domini, cum de peccato agitur, nullam prorsus volo quaestionem habere. Scimus enim, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad peccatum ex omni parte vincendum, quae illum concipere et parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum.“ Sed Christus excellit beatam

Virginem in hoc, quod sine originali conceptus et natus est; beata autem Virgo in originali est concepta, sed non nata. Ipsa etiam omnium virtutum opera exercuit, alii autem sancti specialia quaedam: quia alius fuit humilis, alius castus, alius misericors; et ideo ipsi dantur in exemplum specialium virtutum, sicut beatus Nicolaus in exemplum misericordiae etc. Sed beata Virgo in exemplum omnium virtutum: quia in ea reperis exemplum humilitatis: *Ecce ancilla Domini* (Luc. 1, 38) et post vers. 48.: *Respexit humilitatem ancillae suae*; castitatis, *quoniam virum non cognosco*, vers. 34. et omnium virtutum, ut satis patet. Sic ergo plena est gratia beata Virgo et quantum ad boni operationem, et quantum ad mali vitationem.

5. Secundo plena fuit gratia quantum *ad redundantiam animae ad carnem* vel corpus. Nam magnum est in sanctis habere tantum de gratia, quod sanctificet animam; sed anima beatae Virginis ita fuit plena, quod ex ea refudit gratiam in carnem, ut de ipsa conciperet Filium Dei: et ideo dicit Hugo de s. Victore: „Quia in corde ejus amor Spiritus sancti singulariter ardebat, ideo in carne ejus mirabilia faciebat, in tan-

tum quod de ea nasceretur Deus et homo.“ *Quod enim nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* (Luc. 1, 35).

6. Tertio quantum *ad refusionem in omnes homines.* Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum; sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum; et hoc est in Christo et in beata Virgine. Nam in omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa. Unde: *Mille clypei* (Cant. 4, 4), idest remedia contra pericula, *pendent ex ea.* Item in omni opere virtutis potes eam habere in adjutorium; et ideo dicit ipsa: *In me omnis spes vitae et virtutis* (Eccli. 24, 25). Sic ergo plena est gratia, et excedit angelos in plenitudine gratiae: et propter hoc convenienter vocatur Maria, quae interpretatur illuminata in se, unde Isaias: *Implebit splendoribus animam tuam* (58, 2); et illuminatrix in alios, quantum ad totum mundum; et ideo assimilatur soli et lunae.

7. *Secundo* excellit angelos in *familiaritate divina;* et ideo hoc designans angelus dixit: *Dominus tecum;* quasi dicat: Ideo exhibeo tibi reverentiam, quia tu familiarior

es Deo quam ego, nam *Dominus* est *tecum*. Dominus, inquit, Pater cum eodem Filio; quod nullus angelus, nec aliqua creatura habuit. *Quod enim nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* (Luc. 1, 35). Deus Filius in utero: *Exsulta, et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel* (Isa. 12, 6). Aliter est ergo Dominus cum beata Virgine quam cum angelo: quia cum ea ut filius, cum angelo ut Dominus. Dominus Spiritus sanctus, sicut in templo, unde dicitur „Templum Domini, sacrarium Spiritus sancti," quia concepit ex Spiritu sancto: *Spiritus sanctus superveniet in te* (Luc. 1, 35). Sic ergo familiarior cum Deo est beata Virgo quam angelus: quia cum ipsa Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus, scilicet tota Trinitas. Unde cantatur de ea: „Totius Trinitatis nobile triclinium." Hoc autem verbum, *Dominus tecum*, est nobilius verbum, quod sibi dici possit. Merito ergo angelus reveretur beatam Virginem, quia mater Domini, et ideo Domina est. Unde convenit ei hoc nomen Maria, quod syra lingua interpretatur Domina.

8. *Tertio* excedit angelos quantum ad *puritatem*: quia beata Virgo non solum erat

pura in se, sed etiam procuravit puritatem aliis. Ipsa enim purissima fuit et quantum ad *culpam*, quia ipsa Virgo nec mortale, nec veniale peccatum incurrit[1]). Item quantum

---

1) Aliqui contendunt legendum esse: „Maria purissima fuit quantum ad omnem culpam, quia *nec originale*, nec mortale, nec veniale peccatum aliquando incurrit.“ Ita saltem legit Salmeron in *ep. ad Rom.* disp. 51. et Canisius *de b. Virgine* l. 1. et hanc lectionem aliqui quoque codices mss habent. Verum ita, ut hic expressimus, legendum, nec ullam esse corruptionis suspicionem, nobis videtur. Hanc enim lectionem habent editio romana a. 1570. jussu Pii V. curata; lugdunensis 1562; veneta 1593; antverpiensis (seu coloniensis) a. 1612. Joannes vero a Turrecremata hunc textum cum illa additione *nec originale* expendens in tractatu *de veritate conceptionis*, quem composuit pro facienda relatione coram patribus concilii basileensis, scribit p. 12. c. 15: „Ad istam respondetur primo, quod dubium magnum, quod s. Thomas illud verbum dixerit; *multis* quippe *originalibus* perspectis *non est reperta illa particula*, quod peccatum *originale* non incurrit: sed tantum illa *veniale* et *mortale* non incurrit.“ Hoc dubium confirmatur ex ipso hoc opusculo, nam qui paulo superius n. 4. dixit: „Peccatum enim aut est originale, et *de isto fuit mundata in utero;* aut mortale aut veniale, et de isto libera fuit;“ et mox: „Christus excellit b. Virginem in hoc, quod sine originali conceptus et natus est; b. autem Virgo *in originali est concepta*, sed non nata“: vix credi potest modo post

ad *poenam*. Tres enim maledictiones datae sunt hominibus propter peccatum. *Prima* data est mulieri, scilicet quod cum corruptione conciperet, cum gravamine portaret, et in dolore pareret. Sed ab hac immunis fuit beata Virgo: quia sine corruptione concepit, in solatio portavit, et in gaudio peperit Salvatorem: *Germinans germinabit exsultabunda et laudans* (Isa. 35, 2). *Secunda* data est homini, scilicet quod in sudore vultus vesceretur pane suo. Ab hac immunis fuit beata Virgo: quia, ut dicit Apostolus 1. Corinth. 7, 32. virgines solutae sunt a cura hujus mundi, et soli Deo vacant. *Tertia* fuit communis viris et mulieribus, scilicet ut in pulverem reverterentur. Et ab hac immunis fuit beata Virgo: quia cum corpore assumpta est in coelum: credimus enim quod post mortem resuscitata fuerit et portata in coelum. *Surge Domine in requiem tuam;*

---

paucas periodos dixisse, b. Virginem *nec peccatum originale incurrisse*. Ceterum quid de hac quaestione s. Thomas censuerit, non vacat fusius hic expendere. Cf. quae hac de re diximus in *Compendio* nostro t. II. n. 467. ss. Quod si contrarium docuerit veritati catholicae, audienda est potius Ecclesia, quam ipse doctor angelicus tanti fecit, semper prompte audivit audiendamque omnibus commendat.

tu et arca sanctificationis tuae (Ps. 131, 8). Sic ergo immunis fuit ab omni maledictione, et ideo benedicta in mulieribus: quia ipsa sola maledictionem sustulit et benedictionem portavit, et ianuam paradisi aperuit; et ideo convenit ei nomen *Maria*, quae interpretatur stella maris: quia sicut per stellam maris navigantes diriguntur ad portum, ita christiani diriguntur per Mariam ad gloriam.

9. *Benedictus fructus ventris tui.* Peccator aliquando quaerit in aliquo quod non potest consequi; sed consequitur illud justus: *Custoditur justo substantia peccatoris* (Prov. 13, 22). Sic Eva quaesivit fructum, et in illo non invenit omnia, quae desideravit; beata autem Virgo in fructu suo invenit omnia, quae desideravit Eva. Nam Eva in fructu suo tria desideravit. *Primo* id, quod falso promisit ei diabolus, scilicet quod essent sicut dii, scientes bonum et malum. *Eritis* (inquit ille mendax) *sicut dii*, sicut dicitur Gen. 3, 5. Et mentitus est, quia mendax est, et pater ejus. Nam Eva propter esum fructus non est facta similis Deo, sed dissimilis: quia peccando recessit a Deo salutari suo, unde et expulsa est de paradiso. Sed hoc invenit beata Virgo et

omnes christiani in fructu ventris sui: quia per Christum conjungimur et assimilamur Deo: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (1. Joan. 3, 2).

10. *Secundo* in fructu suo Eva desideravit delectationem, quia bonus ad edendum; sed non invenit, quia statim cognovit se nudam, et habuit dolorem. Sed in fructu Virginis suavitatem invenimus et salutem: *Qui manducat meam carnem, habet vitam aeternam* (Joan. 6, 55). *Tertio* fructus Evae erat pulcher aspectu; sed pulchrior fructus Virginis, in quem desiderant angeli prospicere: *Speciosus forma prae filiis hominum* (Ps. 44, 3): et hoc est, quia est splendor paternae gloriae. Non ergo potuit invenire Eva in fructu suo, quod nec quilibet peccator in peccatis. Et ideo quae desideramus, quaeramus in fructu Virginis. Est autem hic fructus benedictus a Deo, quia sic replevit eum omni gratia, quod pervenit ad nos exhibendo ei reverentiam: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo* (Ephes. 1, 3). Ab angelis: *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro*

(Apoc. 7, 12): ab hominibus: *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (Phil. 2, 11). *Benedictus, qui venit in nomine Domini* (Ps. 117, 26). Sic ergo est Virgo benedicta; sed et magis benedictus fructus ejus.

INDEX.

Praefatio 1

S. Joan. Damasceni sermo I. in angeli annunciationem 4

Sermo II. in annunciationem ss. Dominae 13

Sermo III. in ss. Dominae natalitium diem (I.) 31

Sermo IV. in eundem natalitium diem (II.) 57

Sermo V. in dormitionem b. Mariae V. (I.) 81

Sermo VI. in dormit. b. Mariae V. (II.) 110

Sermo VII. in dormit. b. Mariae V. (III.) 145

Joannis euboeensis serm. VIII. in conceptionem s. Deiparae 157

S. Germani CP. sermo IX. in ss. Deiparae praesentationem 202

S. Sophronii hieros. sermo X. in s. Deiparae annunciationem 234

S. Thomae Aq. in salutationem angelicam expositio 320

O. A. M. D. G.